IVLII CAESARIS CORDARAE

E SOCIETATE IESV

DE PROFECTIONE PII VI. P. M.

AD AVLAM VIENNENSEM

EIVSQVE CAVSIS ATQVE EXITV

COMMENTARII

ROMAE
TYPIS CIVILITATIS CATHOLICAE
MDCCCLV.

IVLII CAESARIS CORDARAE

E SOCIETATE IESV

DE PROFECTIONE PII VI. P. M.

AD AVLAM VIENNENSEM

EIVSQVE CAVSIS ATQVE EXITV

COMMENTARII

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITI

A IOSEPHO BOERO

EIVSDEM SOCIETATIS

ROMAE

TYPIS CIVILITATIS CATHOLICAE

MDCCCLV.

AVCTORIS PRAEFATIO

Cum ita sim animo comparatus, ut quamdiu vita viresque suppetunt, tempus insumere scribendo velim (quid enim aliud in hoc otio alexandrino mallem? aut quo melius modo dies alios ex aliis ducere in hac mea grandaevitate possem?), postea quam spissos commentarios de rebus meis aliisque meorum temporum, libris sexdecim comprehensos, quanta potui maxima sedulitate conscripsi, iam iis velut appendicem libet attexere profectionem Pii sexti Pontificis ad urbem Austriae principem Viennam, eiusque profectionis causas evolvere, exitum etiam, quatenus scire possim, exponere constitui. Moveor ad scribendum cum rei magnitudine, qua nulla post homines natos memorabilior, tum mea quadam singulari erga Pium Pontificem observantia ac voluntate, cui res est, qualemcumque demum habuerit exitum, gloriosissima. Cum enim ille mecum in privata fortuna

amice admodum ac familiariter agere consuevisset, atque eius ego animum pro amicitia introspicere atque aestimare possem, quemadmodum tunc inter ceteras eius dotes egregias fortitudinem in primis atque constantiam omni difficultate periculoque maiorem admirabar, ita nunc praeclarum hoc eius factum scripto a me celebrari arbitror oportere. Accedit quod ego diu multumque in urbe Roma versatus, e proximo perspicere multa potui, quae ad hanc ipsam Pii profectionem viam quodammodo praestruxere; et praeterea quod in hac etiam locorum longinquitate id ago assiduo litterarum commercio, ut quae huius generis certiora exploratioraque in urbe sunt, ad me cum fide perferantur, ut proinde videar mihi posse his conscribendis rebus non incommode manum adiicere. Scio equidem exstituros haud ita paucos, qui de eodem argumento, maiore fortasse eloquii copia ac nitore scribant. Res enim talis ac tanta multorum incendat studia, ac stilum exacuat necesse est. At nihil vetat, quominus eadem diversis consignata litteris prodatur historia. Legentium erit, si qua parte scriptores discrepant, veriora internóscere, unum ex altero si quid desit supplere, si quid erratum corrigere atque emendare. Ego sane nihil quod ab idoneis auctoribus non acceperim, pro certo tradam. Quae autem incerto vulgi rumore circumferuntur aut non attingam penitus, aut in medio relinquam. Sed altius atque a suis initiis repetenda res est.

LIBER PRIMVS

Vita functa ad V. cal. decembris an. MDCCLXXX. Maria Theresia Hungariae Bohemiaeque Regina, successit in ditionem austriacam filius eius natu maior Iosephus Romanorum Imperator eo nomine secundus, ac laetis quidem auspiciis materni hereditatem imperii crevit. Erat namque in ipso robore aetatis, annos natus novem supra triginta, praestanti ingenio, eximiis animi corporisque dotibus, magno ad haec rerum usu, quem itineribus peragendis atque hominum moribus pervestigandis comparaverat, cunctis demum regnandi artibus sub diuturna matris disciplina egregie instructus. Quibus dotibus cum et solertia singularis accederet, et mira ad res gerendas indoles, nihil de se non auspicatissimum portendebat. Principio augendis opibus, imperii nervis scilicet, relevando aerario, dissolvendoque aeri alieno, cuius ingentem ac prope incredibilem numerum mater effusa liberalitate contraxerat, animum et praecipuum curarum intendit. Ac satis sciens regum vectigal maximum esse parsimoniam, ab ipso regni aditu immodicos aulae sumptus

coercuit, maiestatem non tam luxu ac fastu, quam edictis legibusque sustentans, cetera facilis in admissionibus, ac mira erga omnes in agendo comitate. Tum magistratus ac praefecturas non nisi idoneis committere, quaestuosa commercia conquirere, opificia artesque utiles, agriculturam in primis uberrimum opulentiae fontem summa ope provehere. Et super haec novis delectibus militum se communire, copias in omnem eventum promptas et expeditas habere, nova foedera facere, nulli demum rei sive ad securitatem imperii sive ad populi felicitatem deesse, plane ut princeps providentissimus haberetur, ac porro esset. At enim tot ac tam eximias laudes nonnihil corrumpere post paulo est visus, cum quaedam movere coepit religionis affinia, resque novas iussit cum a more prisco institutisque maiorum alienas, tum quibus laedi Pontificis Maximi auctoritas, et violari sacratiora ecclesiae iura videbantur. Primo enim lege quam vocant tolerantiae, heterodoxos pari prope loco ac numero atque catholicos in suis ubique ditionibus habendos edicebat, ipsos deinde iudaicae superstitionis cultores privilegiis ornabat, et Christi cultoribus quadantenus exaequabat. Aliis mox super alia edictis, iam coenobitarum iam sacrarum virginum collegia supprimebat, eorumque bona suo velut iure intercipiebat atque alios in usus transferebat. Quodque modum omnem excedit, legem inauditam tulit, qua suae ditionis coenobitas, abrogato veteri Pontificum ac conciliorum privilegio, episcopis parere iubebat, atque a potestate suorum praesidum Romae commorantium, quibus alioqui obedientiae sacramentum dixerant, exemptos pronunciabat. Legem deinde alteram nihilo aequiorem tulit, qua per episcopos relaxanda deinceps nuptiarum impedimenta statuebat, atque

ob id Romam adiri vetabat. Atque alia id genus quae si effectum haberent, vetus rerum ordo ac longa possessione roborata ecclesiae disciplina funditus subvertebatur. His denique non contentus, Romae cum esset florentissimum Germaniae Hungariaeque iuventutis seminarium, duo ante saecula Pontificum Maximorum cura sumptuque conditum, quasi minus iam probaret romanam institutionem, ex qua clarissimi alioqui praesules et divinae fidei propugnatores invicti perpetuo prodierant, ex improviso sui dominii adolescentes adire Romam studiorum causa vetuit, Ticinum posthac transferendos ac novo in collegio novis institutionibus in disciplinam tradendos 1.

Tot iam tam nova simul ac portentosa Caesaris incepta sermonem orbi universo dabant, eaque ut sua quemque affecerant studia, ita boni malique accipiebant. Male enimvero erga Romanum Pontificem animatum affirmabant omnes, et quidam e sagacioribus Pio nominatim infensum arbitrabantur, atque hanc alienati animi causam haud absurda coniectura afferebant. Vetus obtinuit mos ut Pontifices cum aliquis regum excessit e vita, ea de re ad senatum cardinalium referant, pro eoque solemne sacrum in sacello pontificio peragendum indicant. Sacro frequentes assistunt patres, et defuncti regis laudatio interponitur. Hoc nempe honoris ac pietatis officium Pontifices filiis ecc'esiae praestantioribus putant deberi. Cum tamen excessit Maria Theresia, notarunt

1 *Quae stricto calamo innuit auctor, uberius narrant omnes ecclesiasticae historiae scriptores etiam recentiores. Vid. Henrion hist. univ. eccl. ad an.* 1781 *etc. Bercastel, Beccatini, card. Pacca etc.*

aulici caeremoniarum magistri esse in libris ritualibus, eiusmodi sacrum ne fiat nisi pro iis regibns, quibus si coram adessent, Romae proprins esset in sacello Pontificio locus, proindeque exclndi evidenter feminas. Qna re animadversa, Pius excnsata lege ac consuetndine cni nunquam derogatum diceretur, praetermittendam tum quidem qnam dixi celebritatem censnit. Ob hanc maxime causam Iosephum inquiebant Pio atrociter snceensere, ac talibus inceptis iniuriam parenti snae irrogatam nltnm ire. Quis vero credat principem eximie pium tantnla de causa, quae praesertim commodam excnsationem haberet, tantam irarum molem concipere, et quasi nefarium bellnm indicere Christi vicario voluisse? cum maxime is esset Pontifex, qni se rebns ceteris genti anstriacae ac Iosepho nominatim mire propensnm praestabat, et nuper fratrem eius Maximiliannm ad colonienses infulas amplissimo gratuitoque diplomate promovendnm cnrasset. Altiora igitur meo quidem indicio fuere eiusmodi novitatnm initia. Nimirum iam ante in aula viennensi febronianae opiniones insederant ac radices egerant 1, hisque innutritus, his alte occupatus Caesar plusculum quam oportet principi, minus quam aequnm est Pontifici tribuebat. Qnae autem Febronio auctore fierent, non modo citra culpam, sed quam optimo iure fieri posse existimabat. Ut proinde ea quae contra fas legum moliebatur, non tam animi pravitati, quam mentis errori sint assignanda.

1 *Vide litteras apostolicas Clementis XIII. ad card. Migazzium archiep. Viennen. datas die XIV. iulii an. MDCCLXIV.*

Sane iam tum Romam cum veuit auuo MDCCLXIX, miuus aeque de Poutificis potestate sentiebat, idque uou obscuris cognosci potuit iudiciis, e quibus ego duo quae mihi compertiora subiicio. Vacabat tum forte per obitum Clementis XIII. sedes poutificia, et cardinales couclavibus vaticanis iuclusi de uovo creaudo Poutifice cousultabaut. Caesar primos dies obeuudae urbi, ac curiosissime perlustrandis urbis mouumeutis dedit. Subiit deiude cupido iufereudi se iu illam palatii vaticaui partem, ubi comitia agebautur, idque uou tam ut couclavium structuram ac formam iuspiceret, quam ut purpuratos ecclesiae priucipes de facie agnosceret ac salutaret. Addubitatum parumper est, utrum liceret intra haec peuetralia eum admittere. Nam quemquam mortalium ibi recipi praeter cardiuales, familiaresque eorum duos ac certos rerum gereudarum admiuistros, vetaut decreta Poutificum, et poenam auathematis si quis secus faxit imponuut. At re mature discussa, visum his legibus non teneri Caesarem. Coudicta itaque die adfuit cum fratre Leopoldo Etruriae magno Duce ad fores, quae continuo sunt patefactae. Stabaut iutus iu orbem dispositi patres ampla ac siuuosa couspicieudi chlamyde, quae propria eius temporis ac loci est. Post prima salutationum officia quaerit Caesar, fasne sibi fratrique sit iutro pedem inferre? et cuuctis couseusu adnueutibus, priusquam sacrum limen trausgrederetur, visus velle sibi ferrum discingere revereutiae causa. Sed obstitere vehemeuter cardinales. Immo vero uuus quidam argutior: cave sis, iuquit, istum depónas gladium, uostrum munimeu scilicet, quo nunc ut cum maxime est opus. In eamdemque seuteutiam elocuti sunt ceteri. Deiu subeuntem ac siugula lougo circuitu perlustrautem honoris causa deduxere. Ut ventum in sacellum Sixti, ubi

propter loci amplitudinem et insignes picturas paulo longior fuit mora, circumsistunt aliqui e gravioribus, eique demonstrant, quot qnantisque malis eo tempore sedes apostolica conflictaretnr: spretam Pontificis Maximi auctoritatem, infracta iura, possessiones antiqnissimas vi et armis ademptas ob oculos ponnnt. Caesaris officium esse Pontificis maiestatem tueri, potestatem sustentare, iniurias ulcisci: idcirco patrinum et advocatnm romanae ecclesiae appellari. Quibus ille praecise ac frigide: faciam equidem, si quo casu in discrimen vocatur dogma catholicum. Qnasi vero dogma catholicum Caesaris gladio indigere unquam posset. Hoc unum instantibus suadentibusque responsi dedit, nec aliud quidpiam quantovis verbornm ac rationum momento exsculpi ex eo potuit. Quo satis aperte indicavit se solam divinae fidei conservandae anctoritatem Pontifici attribuere, ius autem legum ferendarum totiusque ecclesiae conservandae, aut non agnoscere penitns, ant in postremis habere. Alias in templum iesuitarum primarinm venerat spectabatque attonito similis aram Ignatii, qna nulla Romae nec forte orbe toto magnificentior. Adstabat lateri snmmus societatis praeses Lanrentius Riccius, ego Riccio quam proxime adhaerebam, ut dicta utrinsque exaudire facile possem. Prior de iesnitis mentionem intulit Caesar, magnum hispanorum ac lusitanorum numerum sibi ex itinere conspectum affirmans. Tum Riccius in sermonem ingressus rogare atque obsecrare, ut tot partibus impetitam atque convulsam societatem pro insita benignitate commendatam haberet, atque a supremo saltem excidio quod intentabatur, praestaret incolumem. Cni ille totidem verbis: cur me roges, inquit, nihil est: fac is eligatur Pontifex qui vobis favere velit, salva res erit: sin continget

iniquior qui vos velit perdere, quid contra ego possim? An non ipsi dicitis ac palam depraedicatis Pontificem falli non posse? summam atque omni humana maiorem eius potestatem esse? Quae sive irridentis sive obiurgantis in modum pronuncians, satis ostendit non placere sibi, quod iesuitae tantopere pontificiam potestatem efferrent.

Hanc animi inductionem parum oppido apostolicae sedis rationibus consentaneam, Iosephus hauserat, ut dixi, domi inter nova Iustini Febronii dogmata. Nonnulli enim aulae proceres ac ministri tantam Febronio fidem adhibebant, ut quaedam ad eius praescriptum novare non dubitaverint quae ad disciplinam ecclesiae pertinebant, nec sibi religioni duxerint profanam manum in sacrarium inferre. Documento sint quae subiicio. Mos erat pervetustus Romae ut sanctioris hebdomadae feria quinta, Pontifex solemni caeremonia diris devoveret impios pietatis catholicae desertores, simulque graviora quaedam piacula, sublata ceteris sacerdotibus facultate, sibi absolvenda reservaret: diploma in id legebatur (Bullam vocabant in Coena Domini) ac poenitentiae ministris propalam habendum proponebatur. Erat id non tam sanctae sedi gloriosum, quam sceleribus avertendis utile. Rem tamen longo usu receptam ultra non tulerunt ii, qui Mariae Theresiae, eximiae pietatis feminae, nomen et auctoritatem praeferebant. Certe diploma illud pontificium recipi deinceps promulgarique intra fines austriaci dominii vetuerunt, immo e poenitentiae tribunalibus ubi esset affixum refigi iusserunt, nec scio an non etiam absolvendi facultatem quam Pontifex ademerat, sacerdotibus restituerent. Grave id sane et adhuc inter catholicos inauditum. Illud nihilo levius. In concilio oecumenico tridentino, in augusto illo sanctis-

simoque totius terrarum orbis consessu quaesitum fuerat, quae maxime aetas dicendo religiosae professionis sacramento videretur idonea. Post longam et accuratam disceptationem placuit eam definire ad annum vitae decimum sextum, cum videlicet sui satis potentes arbitrii adolescentes sunt et adhuc mens docilis atque flexibilis, neque dum humanae cupiditates ultra modum invaluere. Consentit divinum illud oraculum *bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua.* Aliter tamen visum aulicis hominibus: protrahi hoc spatium voluerunt in posterum ad annum usque aetatis quartum supra vicesimum. Ante edi usque ac recipi solemnes votorum nuncupationes vetuerunt. Frustra edicto intercessit archiepiscopus cardinalis Migazzius, et gravissima obtestatione monuit, sacram eam esse rem, nec laicis viris attingendam. Frustra Ximenius summus carmelitarum praeses, idemque gravissimus doctrina vir, scripto luculento ob oculos posuit, quanta ex eo edicto malorum labes tum in ordines religiosos, tum in christianam rem universam esset consecutura. Perstiterunt nihilo secius in sententia, nec ab incepto dimoveri ulla ratione potuerunt. His itaque sensim assuescebat Iosephus, apud eumque insita austriacae genti ecclesiae veneratio sensim vilescebat.

Leviusculum fortasse videatur quod adiicio, at si rem introspicias magnam habet pontificii nominis contumeliam, quove essent administri viennenses animo erga Romam ex hac una re facile intelliges. Unus quidam religiosae professionis vir, Natalis nomine, haud ille quidem indoctus, sed nihil minus quam theologus, materiam nescio quam theologicam Romae attrectare ausus, foedique erroris postulatus atque convictus, eo nomine pulsus in exilium fuerat

Clementis XIII. iussu. Erat ergo ut minimum hominis suspecta doctrina. Eum tamen viennensis aulae proceres ac ministri continuo in tutelam accepere, ac velut in contemptum romanae censurae pontificiique decreti, theologicae disciplinae antecessorem in ticinensi athenaeo constituendum curavere. Neque id satis. Natalis aulae patrocinio arrogantior factus multa contra communiorem theologorum doctrinam palam et impune disseminare coepit, eo progressus audaciae, ut quiddam velut minus theologice dictum carpere non dubitaverit in eo Bellarmini libello, quo praeceptiones doctrinae christianae pueris tradebantur. Nec mora : ad eius placitum libellus tota exulare iubetur Insubria, poena bibliopolis proposita, si usquam apud eos venalis inveniretur. Erat alioqui liber doctissimi sanctissimique cardinalis manu compositus, Clementis VIII. Pontificis iussu evulgatus, et quod magis est diuturno omnium fere ecclesiarum usu comprobatus. Sed nihil tanti visum ut hominis unius quem Roma damnasset, famam tueri, existimationem ac decus amplificare.

Ecce autem ad extremum res (nam omnia persequi longum esset) qua una cetera quae eiusdem argumenti sunt contineri videantur. Iam inde ab anno saeculi huius sexagesimo tertio quidam per Germaniam dispergi coepti erant reconditioris ac novae doctrinae libri, qui ad deprimendam Pontificis Maximi potestatem, ut ad summam rerum spectare videbantur. Iustini Febronii quod supra memoravi nomen ii praeferebant libri, at eo se tegebat nomine Ioannes Nicolaus Hontemius episcopus myriophitanus, trevirensis ecclesiae ut loquimur suffraganeus. Et erat scriptor non solum apprime doctus, verum etiam religionis studiosissimus, sed qui suo praefidens ingenio, qua via unitatem ecclesiae scindebat, ea-

dem restitui posse existimabat. In eam enim devenerat opinionem ac spem, semel deiecta romani pontificis auctoritate, facilius heterodoxos ad concordiam unitatemque catholicam reducendos. Eos confestim libros proscripserat, ut dignum erat, Roma, atque e fidelium manibus eripiendos curaverat. Contra tanquam e caelo missos viennenses proceres acceperant, ac tantum eorum auctoritati tribuebant, ut sua fere consilia ad Febronii praescriptum accommodare ut supra docuimus non dubitarent. At ecce tibi annis ab eo quindecim praeterlapsis, Hontemius sua se spe insigniter falsum sentiens (non enim ad ovile reducebantur oves deviae, sed magis transversae agebantur morigerae) subigente mali facti conscientia, tum etiam hortatu impulsuque sui antistitis archiepiscopi trevirensis (Clemens erat is piissimus e saxoniae familia princeps), novo repente coepto consilio plenas demissionis et obsequii litteras ad Pium Pontificem mittit, in quibus erat, se quae pridem antea sub ementito Febronii nomine, bono quidem proposito sed malo consilio, perperam inepteque scripsisset, ea iam ex animo reprobare, damnare, indicta penitus et expuncta velle. Quo vero testatior esset dictis fides, summam nullique obnoxiam esse Pontificis potestatem in regendis, administrandis ordinandisque omnibus ecclesiae rebus diserte affirmabat, idque argumentis invictis a prima usque antiquitate repetitis, tum etiam patrum consensu et conciliorum testimonio ad liquidum demonstrabat. Ad extremum male insipienterque facti veniam rogabat, ac recipi in sinum ecclesiae, a qua se misere abstraxisset, suppliciter postulabat. Hontemii litteris suas addiderat archiepiscopus trevirensis, deprecator accedens apud Pium pro suo ut aiebat coepiscopo, quem ut sincera mente conversum ad meliora, et di-

gnum testabatur, quem Pontifex paterna caritate complecteretur, atque in gratiam condonato errore reciperet. His acceptis nec opinato litteris Pins, pro eo ut dignnm erat laetus quae perierat ove reperta, continno coetum cardinalium ad se vocat, remque omnem ita ut a nobis narrata est gratulabundus nunciat. Qno deinde latius manaret tam insperatae conversionis laetitia, litteras ipsas conversionis testes typis imprimi ac quaqnaversum dispergi iubet. Quid vero ad haec aulici homines? vix dictu credibile, vernmtamen stat nihilominus Febronium einsqne doctrinam obfirmate sequi. Iustino Febronio furtim scribenti ac nomen mentienti, credendnm est: episcopo myriophitano se palam prodenti, nulla fides habenda. Rumorem malignum spargunt, bonum senem de mentis potestate deiectum esse, et dolo malo fuisse ad canendam palinodiam adductum. Quid plnra? quidqnid illnd est litterarnm iussu Pii Pontificis typis impressnm, illa inquam romani consistorii acta, recipi usqnam legiqne vetant, qua re nescio equidem quid apostolicae sedi contnmeliosius fieri posset.

Per einsmodi exempla ad imperinm Iosephus pervenit, quae cum ederentur vivente matre, quae piissimae feminae opinionem habebat, magni hand dubie apnd eum ponderis momentique erant. Adde his exempla aliorum principum, qui post obitum Benedicti XIV. minus iam vereri romana consnlta, ac inra ecclesiae videbantur. Vt enim eos ad saniora consilia addnceret, non pauca sua sponte indulserat Benedictus. Hnic assueti indulgentiae Principes offendebantur postea, si quid a successore Pontifice non impetrassent: donec multa demum sibi contra omne fas suo velut iure arrogare coeperunt. Accessere conquestiones multae graves-

que per causam iesuitarum exortae, in quibus cum Clemens XIII. iesuitas impense tueretur, efferati aliqui regnm seu verius eorum administri ad atrocia prorupere, ut tantum non apertam ab apostolica sede secessiouem facerent. Nam tum forte aliqui regum plns nimio fortasse boni, suis admiuistris omnia permittebaut, ad eorumque arbitrium rem publicam admiuistrabaut; hi vero ad deprimendam proculcandamque Pontificis potestatem, quodammodo ex composito conspiraverant. Adde ad extremum libellos specie utiles re pestilentissimos, qui medio hoc tempore prodire in lucem ac totam prope Europam pessimo publico pervagari coeperuut, quibus lectitandis uihil dubito, quiu Iosephus parum aequa de pontificia potestate iudicia conceperit. Sed de his tenebrionibus qui se dicunt philosophos, nullius religiouis hominibus, nec iudoctis minus quam ineptis et arrogantibus, qui dum principibus adulari libellis scriptitandis student, eadem opera Christi regnum subvertere a fundamentis conantur, erit fortasse infra opportunior dicendi locus.

Inde factum interea ut Iosephus siuistris opinionibus occupatus quae seusim a teueris annis conceperat, summam potestatem adeptus, rem exsequi maturaret. Ac prima quidem eius edicta de haereticis ac iudaeis mirabautur magis homines quam reprebenderent, spectabautque ea catbolici partim metu partim admiratione defixi. Ast alia cum successere quibus aut sacratas Deo virgines e suis coenobiis, ne consulto quidem Pontifice, nullo votorum respectu exire iubebat, aut episcopis ius relaxandi nuptiarum impedimenta, quod sibi Pontifices reservaveraut, sua auctoritate tribuebat, eorumque iurisdictioni ordines religiosos quos Pontifices exemeraut subiiciebat; cum videretur id arrogare sibi quod solus Pontifex

divina sua auctoritate potest, quasi vero Christus Deus regni sui claves et pascendi gregis procurationem non Petro ac successoribus, sed romanorum imperatori dedisset, tum vero magna inter catholicos obmurmuratio. Alii Caesarem, ut avitae pietatis desertorem aperte damnabant, prudentiores vero iudicia sustinebant. E coenobitis tamen quosdam provinciae mediolanensis, quod Caesaris edicto temere subscripsissent, reos manifesti schismatis fecit vir doctissimus Iosephus Ludovicus de Andujar episcopus dertonensis, scriptis in id litteris nervosissimis, quibus prompte sed male respondit magnus ille de quo supra dicebam theologus Bellarmini corruptor Natalis. Ceterum episcopi, unum si demas mantuanum Ioannem Baptistam de Pergen, qui statim litteras pastorales secundum Caesaris decreta circummisit, ceteri inquam episcopi ne quo piaculo se illigarent, nihil praecipiti consilio movebant, sed intentis in urbem oculis vocem supremi pastoris exspectabant. Ut enim verissime dictum sit *Non est potestas nisi a Deo, et qui potestati resistit Deo resistit*, at illud etiam considerabant, an non in conflictu utriusque potestatis *Deo magis obedire deberent quam hominibus* Apostolorum exemplo.

Pius interea nec opinato turbine perturbatus, atque inquies, cum nec in his connivere posset sine flagitio, nec vocem efferre sine periculo, quam in partem se verteret nesciebat. Nam inter eos quorum maxime intererat ut illaesa manerent apostolicae sedis iura, alii alia sentiebant. Et quidam metu, ne a gratia Caesaris exciderent, libere aperteque sententiam dicere, licet perrogati, non audebant. Erant deinde Romae ut fere semper homines romanae aulae inimicissimi nequissimique principum instigatores, quibus ne quid

suboleret ad rei summam pertinebat. Caute igitur Pius sua regens consilia nullamque vocem neque dolentis neque indignantis indicem mittens, rem dissimulanter agere instituit per suum Viennae legatum, (nuncium apostolicum vocant) si quo modo posset Caesarem hortando suadendoque, quasdam etiam concordiae conditiones proponendo, a proposito dimovere. Ea tum legatione fungebatur singulari integritate prudentiaque vir et divini humanique iuris apprime sciens Iosephus Garampus montis falisci episcopus, sed quamvis mandata Pontificis summa simul fide ac sedulitate exsequeretur, nihil admodum proficiebat. Non tam enim cum Caesare, quam cum principe Caunitzio primario Caesaris administro res erat, atque is ad omnia perstabat immotus, nullam concordiae conditionem admittebat, quae demum cumque Pontificis nomine proponerentur praecise reiiciebat. Pertinaciorem elatioremque efficiebat, quod Garampo erat forte ab epistolis, ut postea compertum est, vir insigni perfidia Aegistus nomine, qui pretio corruptus arcani fidem prodebat, quaeque scripserat Pontifex notis licet involuta ad eum clanculum submittebat. Et super haec rumor fuit quosdam per idem tempus theologos clari nominis cardinali ab Hersan se adiunxisse, eique sua scripto consignata dedisse suffragia, quibus Caesaris incepta prolixe comprobabant, eaque similiter ad Caunitzium transmissa dicebantur. Quod quidem ego non ausim pro certo tradere, sed vero valde simile existimo. Et siquidem verum sit, hominem aulicum tam ad omnia inflexibilem se praebuisse non miror.

Quod porro alienus ab omni compositione Caunitzius esset, ex ipsis eius litteris quae per manus hominum volitarunt atque ad nos pervenerunt, evidenter apparet. Nimirum Ga-

rampus scripto rem agendam ratus codicillos ad eum miserat, quibus multa praefatus de prona in concordiam Pontificis voluntate, quem aiebat eo esse animo, ut nihil esset recusaturus quod Caesari indulgere salvo officio posset, querebatur tamen sola Caesaris auctoritate multa passim fieri, supprimi sexus utriusque coenobia, aliosque in usus quam quos pii fundatores praescripsissent, proventus eorum destinari. Esse id novi prorsus exempli praesertim inter principes augustae domus austriacae, atque in perniciem ordinum religiosorum vergere: esse contra consuetudines inveteratas ubique gentium ac nominatim in Germania receptas: esse contra leges ecclesiae: esse contra iura Pontificis Maximi qui unus de personis ac rebus Deo sacratis decernere tanquam Christi vicarius et supremus in terris divini iuris interpres posset. Ad extremum rogabat vehementer Caunitzium, ut pro eo quanti valerent eius officia, Caesarem ab eiusmodi inceptis removere conaretur. Ad ea scripto itidem Caunitzius respondit, atque ita quidem ut nullam spem honestae conventionis reliquam faceret. Totam enim rem per plura capita exsecutus duo prae aliis tanquam certa ac fixa statuebat. Alterum Pontifici ius nullum esse in ecclesia universali, nisi si agantur res dogmaticae aut mere spirituales. Exteriorem omnem disciplinam et quidquid demum non divinae sed humanae institutionis est, in potestate esse principis. Principes subiungebat ultro libenterque Christi fidem in suis ditionibus ob doctrinae sanctitatem admisisse, sua tamen incolumi potestate, nunquam admissuros, si qua parte huic detrahendum existimassent. Id quale sit, quam pium ac vitam aeternam credenti consentaneum nemo non videt: quasi vero felicitas sempiterna quam suis sectatoribus Christus pro-

mittit non esset quibuslibet fluxae huius vitae bonis, atque ipsi adeo vitae nedum regiae potestati anteponenda. Alterum, quaedam retroactis saeculis sibi adrogasse iura Pontifices quae ordinis episcopalis propria, ei inhaerentia ab eoque inseparabilia sint: velle autem Caesarem ea ut nunc iterum sibi episcopi vindicent, iisque in sua quisque dioecesi libere utantur. Haec nimis fortasse properanter scribenti illud credo non succurrit, etiam ordini sacerdotali inhaerere proprium ius, ab eoque inseparabile esse ius conficiendi sacramenti eucharistici et absolvendi a peccatis: huius tamen iuris usum interdum certis de causis ab episcopo sacerdotibus interdici, nec si episcopus interdixerit, posse Caesaris auctoritate restitui, et quanto episcopus supra simplices sacerdotes, tanto Pontificem supra episcopos potestate praestare. Nihil sane erat facilius quam ad Caunitzianum hoc scriptum aliquid apte scienterque reponere, et nemo Garampo melius poterat. Nihil reposuit tamen Garampus, ne dissertatorem magis agere videretur quam legatum, sed scriptum ipsum Romam ad Pontificem misit. Nos aliquid pro nostro modulo reponemus, cum libellos hoc philosophico saeculo contra ecclesiam divulgari coeptos (ex his enim fontibus ea hausta sunt dogmata) infra ad trutinam revocabimus. Nunc res ipsa nos admonet, ut ad historiae contextum redeamus.

Ea dum agebantur Viennae, Romam venere Caesaris litterae ad Pium, quibus concedi sibi postulabat ius quod vocant nominationis ad omnes episcopatus, praeposituras et sacerdotia quae sunt in Insubria ditionis austriacae. Postulandi causam praetexebat, quod idem olim ius concessum fuisset Francisco Sfortiae Mediolanensium Duci a Nicolao V. Pontifice. Pius hac insuper tam gravi postulatione perculsus, reco-

gnoscendum curavit quod citabatur indultum Nicolai, comperitque non perpetuum, non ad posteros transiturum, sed precarium et ad vitam Francisci definitum illud fuisse ius, immo non verum nominationis ius, sed tantum praerogativam commendationis fuisse. Itaque haec eadem rescripsit Caesari. Simul eum rogavit ne ultra pergeret eiusmodi postulationem urgere; neque enim aequum videri, ut sedes Apostolica sua antiqnissima possessione se Pontifice caderet. Repulsa non absterritus Caesar, forte etiam exacerbatus, contendere coepit, siqnidem sibi quam dixi nominationis ius non deberetur indulgentia Pontificis, at deberi pro insita potestate principis, nec certe se passurnm ut in sua ditione ius diceret potestatemque exerceret, nisi qnem ipse ad id munus suo arbitrio elegisset. Et novas in id litteras ad Pontificem dedit. Tum vero sensit Pius quam atrox sibi ac Petri navi tempestas ingrueret. Rem nempe esse cum principe potentissimo simulque propositi tenacissimo, apud quem nihil Pontificum ac conciliorum sanctiones, nihil vetustae popnlorum consuetudines, nihil superiorum Caesarnm exempla valerent, hisque omnibns suum iudicium, suam anctoritatem anteferret. Desperans igitur quidquam profici apud eum posse sive Garampi opera, sive suis litteris, Viennam ut in malorum extremo cogitare coepit, si forte snpremi pastoris adspectn, voce, hortatu atque etiam precibus commoveretur quem cetera nihil tangebant. Movebatur praesertim eo quod sciret ministrornm plerumque consiliis regi principes, et saepe quantumvis bonos ad deteriora propelli; suis autem cum Caesare colloquiis nullum ministrorum interfuturnm. Prins tamen quam de re decerneret, implorandam opem supernm in primisque B. Virginis censuit. Itaque dissimulato consilio pias per plura nrbis tem-

pla preces in honorem Divinae matris indixit, quae magno populi concursu ac pari religione triduo sunt peractae. Ipse interea publicis privatas preces addere, B. Petri in primis opem ac patrocinium exposcere, ut praesens ac propitius sibi in rebus tam afflictis esset. Mos illi erat vaticanum quotidie templum luce palam invisere, atque ante sacrum B. Apostoli tumulum preces fundere. Nunc ab nullo domesticorum conspectus per tenebras decembri mense solus, nudis pedibus, illuc e palatio descendere, atque ante aram Divi horas solidas precabundus consistere. Nec eo contentus in honorem Principis Apostolorum novum componi hymnum iussit, quem qui pie recitaret, multas quotidie de thesauro ecclesiae indulgentias ferret ac certis intra annum diebus etiam plenariam. Cuius hymni quoniam incidit mentio, silentio non tegam a Benedicto Stayo fuisse latine conscriptum, a multis atque etiam a me ad usum vulgi italice redditum; meam versionem tamen prae ceteris placuisse Pontifici, qui proinde sic verso atque evulgato idem indulgentiarum beneficium adiunxit.

Cum denique satis sibi esse animi, plusquam satis fiduciae intelligeret, selectiores quosdam e cardinalibus ad se vocat, atque iis coram quid sui consilii in ea temporum iniquitate esset aperit. Quid ii sententiam rogati censuerint, certo resciri non potuit. Rem enim proferre sub arcani religione vetabantur. Pius certe post haec ad iter viennense mire confirmatus apparuit, atque ad postremas Caesaris litteras in hanc sententiam rescripsit. Quod nihil suae valuissent apud eum preces, velletque nihilominus ius praesumptum persequi de episcopatibus, sacerdotiis et praepositturis Insubriae, id sibi permolestum accidere affirmabat. Nolle se in praesentia eo de iure disputare. Tantum rogare ne sibi sic persuadeat veteri

consuetudine, quam generalia quoque concilia ratam firmamque habuerint, quidquam regiae auctoritati detrahi, cum praesertim mos invaluerit, ne quem sedes apostolica ad praefecturas principi suspectum admoveat. Ceterum Mariam quoque Theresiam eius matrem petiisse a Benedicto XIV. ius nominandi, non quidem ad episcopatus, sed tantum ad sacerdotia Insubriae, quibusdam etiam oblatis ad beneficii compensationem emolumentis; eam tamen petitionem disertis verbis reiecisse Pontificem, cum diceret aeternam se suo nomini maculam adspersurum, si tali, tam vetusto, tam splendido iure sedem apostolicam uno calami ductu spoliasset, et piam reginam nihil ultra de negotio movisse. Benedictum addebat non modo perdoctum in paucis fuisse virum, sed Mariae Theresiae addictissimum, quadam etiam affinitate coniunctum, uti qui filium eius primum spem regni, ipsum videlicet Iosephum, sacro de fonte suscepisset. Se haud minus propensum erga augustum filium esse, quam erga augustam matrem Benedictus fuisset, et quatenus posset etiam liberaliorem esse velle. Sed siquidem mittendis ultro citroque litteris extricaretur nihil, et aliae praeter hanc multae essent res controversae, quae si per interpretes tractarentur longam haberent disquisitionem, difficilem exitum, se animum induxisse his de rebus coram transactum venire Viennam, nec dubitaturum iter longum saeva licet hieme ac devexa aetate suscipere, ea erectum spe si suam per se causam ut pater cum filio ageret, brevi omnia esse componenda et concordiam pristinam inter sacerdotium et imperium ex aequo et bono redintegrandam. Haec summa litterarum. Quibus quam brevissime respondit Caesar: si iis de rebus transactum veniret, quas ipse controversas diceret, licet decisae apud se essent, fru-

stra fore. Se nimirum in suis deliberationibus nihil nisi rationem, aequitatem, humanitatem, religionem habere prae oculis et viros earum rerum de quibus ageretur consultissimos in consilium adhibere. Ceterum pergratum eius adventum fore eoque honore qui dignitati deberetur exceptum iri. Nihil ut apparet bonae spei ex hoc responso ostendebatur. Pius tamen animum non despondit nec a sententia discessit, sed iacta in Deum ac B. Petrum fiducia, profectionem exsequi maturavit.

Res hactenus supra fidem in urbe fuerat. Licet enim surdus ea de re percrebresceret rumor, velle tamen pontificem ea aetate virum, tam adverso anni tempore, tam peregre proficisci, et adhuc incerto negotiationis exitu maiestatem quodammodo prostituere, nemo sibi facile persuadebat. Postea vero quam res ore Caesaris evulgari coepta est, eamdem ipse Pontifex sine ambage emisit in publicum. Quin ipsam profectionis diem ad IV cal. martii praestituit, et continuo se itineri accinxit. Neque vero maiorum exemplo et pro Pontificis amplitudine, sed quam minimo comitatu, nullo fastu ac privati prope in morem abire constituit. Viae comites sibi assumpsit admodum paucos, ac primo Marcuccium patriarcham constantinopolitanum episcopi gerentem vices in Vrbe, et Contessinum archiepiscopum atheniensem quo ab eleemosynis utebatur. Hos secum adducere decreverat in eodem curru. In aliis Nardinum ab epistolis latinis, Dinum caeremoniarum magistrum, De Rubeis medicum, Ponsettum caudatarium eumdemque a sacris confessionibus, Spagnam cruciferum et alios quosdam e famulitio. Notatum est assumptum fuisse neminem aut scientia theologica aut politica arte insignem, plane ut appareret Pium sola bonitate causae Deique ope ac Petri patrocinio fretum discedere, ac totam

in se rei conficiendae provinciam recipere. Cursores in equis duo praeire debebant, carpenta cum sarcinis subsequi: adhibenda erant veredorum paria non plus viginti, mutanda tamen per intervalla, dux et curator itineris designatus Annibal Nellus navus et industrius vir, quicum nonnulla mihi olim amoris mutui necessitudo fuit. Huic erat iniunctum, ut anteiret aliquanto cum coquo et uno quodam e cubiculariis, vehiculaque adduceret quibus pars supellectilis pontificiae vectaretur, quae demum cumque opus essent procuraret. Sed quamvis tam exilem sibi comitatum adiungeret, ut erat grandi et excelso animo, nummum scutatorum octoginta millia sibi in sumptum itineris ex aerario seponi iussit. Ac praeter tantam pecuniae vim, novum ex auro cudi numisma iussit quindecim aureorum pondo, cuius una pars suam, altera Petri et Pauli effigiem exhiberet, unaque afferri voluit precarios magno numero globulos e pretiosis lapillis, nimirum habiturus ad manum, quod viris nobilibus ac matronis ut se daret occasio largiretur. Cumque haberet in animo sacrum augustiore ritu facere in aede maxima viennensi, una vehi thiaram auro gemmisque distinctam et diadema pontificium quod triregnum appellat vulgus, totum denique pontificale instrumentum iussit. Postremo coniici iussit in sarcinas tres maioris formae galeros cardinalitios, hoc videlicet insigni ornaturus in Germania duos iam ante creatos cardinales, atque unum de novo ex itinere creaturus.

Rebus in hunc modum comparatis, biduo antequam se daret in viam, convocat cardinalium collegium, seque propediem in Germaniam discessurum, quod bene ac feliciter sibi ac christianae reipublicae verteret nunciat, simul causam exponit cur neminem ex eorum numero in itineris societatem

adsciverit. Quae apta oratione elocutus, praefectis singulis ac magistratibus suas cuique facultates absente se ratas ac firmas fore declarat, atque etiam extraordinarias peculiari chirographo a se concessas docet, quo nulla fiat negotiis expediendis mora. In omnem deinde eventum decretum a se factum sciant, ut si quid sibi peregrinanti acciderit humanitus, comitia nihilominus in urbe habeantur, ibique novus Pontifex eligatur, ita prorsus ac si diem ipse suum in Vrbe obiisset. Nam lege communi scitum est, ut ubi decesserit Pontifex, ibi eligatur successor. Patres ad extremum rogat ut piis votis ac precibus secundent coepta, ac facto bene precantis signo, coetum varie affectum dimittit, aliis in spem rerum meliorum erectis, aliis deiectis metu ac diffidentibus, cunctis magnum Pontificis animum incredibilemque constantiam admirantibus. Die postero Marcus Antonius Columna cardinalis Pontificis vicarius, edicto palam proposito addi deinceps missae sacrificio iubet piam precem pro Pontifice itinerante. Nellus cum vehiculis et parte agminis Pontificii discedit. Pius quod reliquum fuit temporis partim explicandis inter ministros negotiis, partim excipiendis oratoribus principum exterorum eorumque salutationibus dedit. Namque hos iam ante edoceri de suo in Germaniam itu iusserat ac prae aliis venetum, quippe per fines reipublicae transiturus. Horas extremas inter cariores quo praecipue ex numero erant duo eius sororis filii cognomento Honesti, imperturbatus exegit.

Illuxit tandem discessui praefinita dies quae dies fuit ut diximus februarii mensis septima supra vigesimam anni MDCCLXXXII. Ac tum vero licuit agnoscere quanta populo romano caritas esset sui pastoris ac principis. Mane primo qua hora discessurum fama vulgaverat, nobilitas fere uni-

versa citatis equis in vaticanum processit, eum ut faustis ominibus prosequeretur, simulque tanta hominum multitudo ab eodem studio se effudit in publicum, ut quocumque erat transiturus fora prope omnia complerentur ac viae. Pius vix orta luce usitata Helvetiorum custodia stipatus, sequente praesulum ac procerum frequentissimo agmine, in templum descendit supremum rogaturus Apostolorum principem, ut sibi tale iter pro salute christiani gregis suscipienti praesens ac propitius esset, atque ante eius aram et sacerdotem operantem supplex ac precabundus constitit. Transiit inde in sacrarium, qui erat ultimis salutationibus discessuri praefinitus locus. Iamque aderant ad fores parati seiuges tres cum aliquot cisiis, cum supervenere comites Nortii. Hoc nomine se compellabant Paulus Petrovitzius magnus Moschoviae Dux eiusque coniux Maria Virtembergica, russici imperii haeredes, qui ab ultimo septentrione egressi Italiam sive solatii, sive eruditionis causa peragrabant; sed quaedam super his non tam leviter nec perfunctorie attingenda. Venerant iam ante Romam, et Pius ad usque ditionis pontificiae confinia cursores miserat qui venientes exciperent ac Romam usque deducerent: simul eorum usui dispositos ubique magno numero equos ac veredarios adesse iusserat. Illi vix urbem ingressi (nam Neapolim properabant), nullam sibi moram intulere ne gratias agerent ita de se merito principi. Eadem itaque die in vaticanum progressi nactique pontificem in templo orantem, accessere venerantium ritu atque ab actione gratiarum exorsi, plenam officii obsequiique orationem sermone gallico habuere. Quibus assurgens Pius ut erat gallice doctus, pari copia ac verborum honore respondit. Neapoli nec diu constiterant, nec ut vulgatum est, libenter, etsi magnificis

quidem ludis ac spectaculis rex distinendos curasset. Coutra reversi Romam per quadragesimam ieiuniorum rerum romanarum aspectu mirifice delectabantur. Pius profanis quidem ludis ac spectaculis propter dierum esurialium sauctitatem abstiuendum censuit, nihil omisit tamen quo gratiorem illis romanam commorationem faceret. Ut alia praetercam, rediit forte dies anniversaria qua ipse fuerat poutifex inauguratus, solebantque ea die testandae laetitiae causa festivi ignes incendi iu arce adriana. Pius ut his gratificaretur hospitibus, totum praeterea templum Petri cum illo praealto fornice, et pro templo excurrentes in gyrum immensae amplitudinis porticus funalibus collustrari iussit, quod est spectaculum admirandae magnificentiae atque urbis proprium, cuius similem nusquam orbe toto couspicias. Mitto hic exquisiti generis lautia quae ad eos misit, et munera ingentis pretii, vel musivi operis tabulas et textilia quaedam Romae affabre elaborata, et quod gratum in primis accidit, omnes romanorum aedificiorum prospectus chartis ingentibus graphio delineatos, atque in plura volumina egregie compactos. Qua illi munificentia, tum ore ipso eloquioque Pii snpra quam dici possit affabili, ita capti devinctique fueraut, ut nullum obsequii gratique animi officium adversus eum sibi praetermittendum existimarent. Cum ergo audissent in eo esse Pontificem ut urbe excederet, atque iter lougum in Germaniam capesseret, primo diluculo proripuere se lecto, et e foro Antonini ubi diversabantur, iu Vaticanum ad eum ultimo salutandum se contulere. Subeuntes excepit cum magna honoris ac benevolentiae significatioue Pontifex: illi nullum modum et gratias agendi et fausta omnia comprecaudi iam mauum, iam vestem eius deosculantes faciebant, donec discessurum ad currum

usque deduxere, ac conscendenti ipse magnus Moschoviae Dux dextram porrigere, ipse ostium claudere sua manu voluit. Quae schismatici principis acta contuentes qui circumstabant aulici, optabant pari erga Pontificem pietatis obsequio eos esse omnes qui catholico censentur nomine, seque Pontificis filios obsequentissimos praedicant.

Conscenso curru Pius priusquam ad portam flaminiam, qua erat ab urbe exitus deveniret, parumper a via breviore deflectens divertit ad aedem Virginis vallicellianam, ubi sacri cineres asservantur Philippi Nerii, ut hunc quoque romanae urbis apostolum sibi precibus propitiaret, atque hinc ad portam quam dixi flaminiam iter intendit. Quacumque itum est tanta, tam conferta hominum multitudo vias impleverat, ut aegre antecursores turbam submoverent et currus gradu lento procedere cogeretur. Transeunte Pontifice populus hinc inde procumbebat in genua. Laetae undique voces plaudentium, acclamantium sospitatemque adprecantium personabant. Pius prae mentis dulcedine illacrimans elata hinc atque hinc dextera signum bene precantis faciebat. Par e porta concursus, par conclamatio usque ad pontem milvium. Neque id satis. Multi e proceribus vel equo vel curru vecti viam quam celerrime pervolantes ad primam usque stationem, quam primam portam vocant, praecipui amoris instinctu, quasi aegre ab optimo Pontifice divellerentur, se contulere. Ibi dum mutantur equi, usitatas quoque vestes Pius cum aliis paulo brevioribus commutavit, Pontificium alioqui retinens indumentum, albam tunicam cum linteo crispato amiculo, purpureum palliolum cum stola sacerdotali, pileum rubrum et eiusdem coloris calceos aurea cruce distinctos. Dein proceres circumfusos ac paene collacrimantes benignissime affatus,

duos praesertim sororis filios et novam nuptam Constantiam Falconeriam Ludovici Honesti uxorem, demum omnibus vale dicto, denuo currum conscendit ac per viam flaminiam abire perrexit.

Mirari hoc die licuit quam mobilia romanorum ingenia sint. Antea vix erat qui non consilium Pii palam et aperte damnaret. Nam quo demum operae pretio rem tantam atque adeo inusitatam suscipi, nisi ut prodigatur argentum, salus et vita principis in aleam detur, et maiestas pontificis maximi germanorum genti atque adeo orbi universo ludibrio sit? Caesarem quae moliri coeperit, iamdiu animo coquere ac penitus habere defixa. Nihil eum temere, nihil inconsulto inceptare; daturum fortasse bona verba Pontifici, at spem eius ac vota variis frustrationibus elusurum, nunquam a proposito discessurum. Notas plus nimio esse artes aulicas. Sic heri et nudius tertius. Contra hodie factum summi pariter infimique vehementer probabant, Pium in caelum ferebant laudibus. Atque hunc vere magnum esse pontificem, qui tuendae causa ecclesiae non laborem ullum, non periculum subterfugeret nec sumptui parceret. Hunc bonum vere pastorem qui ovem misere deerrantem ac pene deperditam etiam per viarum abrupta quaesitum iret. Iosephum, inquiebant, principem in sinu ecclesiae educatum non posse tam depravato esse animo, ut Pontificem vera exponentem nollet audire, nec tam profligati pudoris, ut patri amantissimo suadenti rogantique perfracte sit restiturus ad omnia, nihil admodum concessurus. Omnino res ad aliquam honestae compositionis formulam revocandas. Fac deinde nihil cedat e sententia. Attamen Pio gloriosum ac praeclarum fore, sibi officioque non defuisse, atque ad haec usque extrema tam iusta de causa descendisse. Pium propte-

rea non viventium modo, sed posterorum etiam linguis ac litteris immortaliter celebrandum. Sic tnnc romani de re, sic boni quique postmodnm per totam loquebantur Europam.

Vix interea Pius processerat iter tridni, cum Romam nec opinatus venit Caesaris excubitor nobilis e gente hnngarica (genus est tabellarii), et litteras ipsius Caesaris tnm ad Pontificem tum ad Hersannm Cardinalem attulit. Retro itaque cessit maturavitque per eadem vestigia praeeuntem seqni Pontificem. Ut multnm tamen festinaret, enm adipisci non potuit nisi Ferrariae. Qnid in iis esset litteris nos opportuniore infra loco referemus. At Hersanus mandato Caesaris inbebatur e vestigio Viennam discedere, magnis utique adhibendus in rebus quae eius temporis ac loci essent. Cur is potissimum fuerit arcessitus, nunquam ad liquidum compertum est. Alii alia coniectabant. Profusum tamen obsequinm viri erga Caesarem, cuius beneficio ad amplissimam dignitatem ac pares dignitati opes pervenisset, et quae iam ante Viennam misisse dicebatur ut supra docuimus romanornm theologorum suffragia, parum aeqnis de eo suspicionibus ansam praebuere. Quidquid id esset de quo ego nihil definio, Hersanns certe nulla interposita mora excessit urbe, ac viam magnis itineribus vorans, Viennam brevi post Pontificem intervallo attigit.

Finis Libri primi

LIBER SECVNDVS

At mihi posthac Pium Pontificem per iter longum Viennam usque secuturo, totumque itineris ordinem et casus varios diligenti calamo exsecuturo, ne eadem saepius iterando satietatem legentibus afferam, liceat ab hoc statim initio quasdam exponere, quas ipse sibi praescripserat quasque exacte servavit leges. Prima illa fuit ut gradum quotidie promoveret, nullibi plus una nocte consisteret. Altera ut quibus in locis pernoctandum esset, si ibi decens inveniretur religiosorum coenobium, nou aliud hospitium sumeret. Tertia ne usquam prius adiret hospitium, quam sacram aedem invisum isset et venerabile sacramentum in altari propositum adorasset. Quarta ne unquam discederet, nisi prius sacram fecisset rem, aut fieri se praesente iussisset. Demum ne apostolicam benedictionem poscentibus unquam denegaret, et si qui hominum honestiorum pedem pontificium osculari discuperent, iis ultro pedem osculandum praeberet. Quae cum essent quotidiana et assidua, si quoties acta sunt, toties suo tributa loco repeterentur, nimis plane in longum excresceret, nec scribenti mi-

nus quam legenti molesta narratio foret. Longum etiam ac molestum esset singillatim referre de honore plausuque, immo etiam veneratione et obsequio quo locis omnibus est receptus, cum id vere dici possit quamdam triumphi speciem hanc Pii peregrinationem habuisse, qua velut perspicuam religionis maiestatem pompa licet ac fastu destitutam circumferret. Non enim videndi solum Pontificis ut alios ferme principes, magna ubique cupido erat, sed quacumque transibat, aera omnia campana adventum eius e longinquo nunciabant, urbes commovebantur et oppida, effundebantque se populi in vias publicas, non visuri tantum, sed plus pene quam mortalem quodammodo adoraturi Pontificem, beatos se praedicantes, cum in genua provoluti unum benedictionis nutum rogando clamandoque impetraverant. Quodque merito obstupescas, quo recedebat ab urbe longius, eo magis obsequium ac veneratio crescebat. Sed iam ad narrationem aggrediamur, quam quidem ad normam Diniani itinerarii publica auctoritate editi contexendam suscipimus.

Egressus ergo ita ut dictum est ab Vrbe Pius, atque a prima quam vocant porta Civitatem Castellanam praetervectus (id urbi nomen quod alii Fescenniam, alii veterem Veientum urbem putant), transmisso per pontem amne tiberi, primo die venit Otriculum, atque in domo Genuesia quae oppidi commodissima, primam noctem posuit. Nullius celebritatis est locus, quamquam quae extant rudera quaeque effodiuntur romanae antiquitatis reliquiae, sat splendidum fuisse olim demonstrant. Adfuere ibi statim episcopi viciniores narniensis ac reatinus, ac debitum Pontifici obsequium detulere. Sequenti die per ardua apennini iuga venerat Narniam; ibi dum mutantur equi, ad ecclesiam cathedralem sacram ho-

stiam veneraturus divertit, et par illi obsequium ab episcopis narniensi, amerino ac sabinensi suffraganeo in ipso templi vestibulo delatum est. Descendit inde in plana fertilissima Vmbriae, atque Interamnam primo, deinde Spoletum quam celerrime praetergressus, totamque emensus vallem spoletinam quae longo ac peramoeno tractu protenditur, Fulginium centesimo ab urbe lapide attigit, pernoctavitque apud augustinianos. Fulginium venientem opperiebantur praeter fulginensem episcopi perusinus, assisiensis, nucerinus atque ingens nobilium numerus, quos insitum videndi venerandique principis studium huc ex omni contraxerat Vmbria, nulli negata pontificii pedis osculandi copia. Atque hinc postridie quae dies fuit martii mensis prima, superato iterum praecelso ac confragoso apennini iugo, per augustas montium fauces provinciam camerinensem percurrens, Tolentinum quae prima occurrit Piceni civitas venit, atque itidem in coenobio augustinianae familiae sumpsit hospitium. Dum tamen e curru ad fores templi descendit suo more, humi pronos ac venerabundos reperit tum archiepiscopum firmanum, tum episcopos maceratensem ac septempedanum, hisque benigne ut solebat acceptis tertiam ibi noctem exegit. Nova orta luce, sacra B. Nicolai tolentinatis ossa veneratus per laeta Piceni sata viam ingreditur, ac secus Maceratam evectus progressusque binis fere castris Recinetum, hinc brevissimo itinere paulo post meridiem inter laetum aeris campani sonitum ac perstrepentia e muris bombardarum tonitrua Lauretum attigit.

Urbs est Lauretum ambitu angusta ac suis incolis plena, ut vix locus relinquatur hospitibus nisi in suburbio. Huc tamen ex omni Piceno quae ampla in primis ac populosa pro-

vincia est, tanta hominum multitudo confluxerat, ut aegre ala equitum loricatorum turbam obstantem ac se comprimentem arceret. Exscendit ad fores sacrae aedis, ut sibi ipse praescripserat Pontifex. Exscendenti manum adiutricem porrexere duo cardinales Bufalinus et Calcagninus, ille anconitanus, hic auximensis episcopus. Aderant praeter hos episcopi asculanus, cuprensis et lauretanus cum suo clero. Aderant fere omnes urbium picenarum gubernatores ac praesides. Pius cardinales amplexu, ceteros de genu venerantes benedictione dignatus, musicis illud ex edito concinentibus *Ecce sacerdos magnus*, templum angustum introiit, ac brevi acta prece, primo ad aram principem ubi venerabile sacramentum publicae adorationi erat expositum, deinde ad aram Virginis ab Angelo salutatae, ut erat ab itinere nonnihil fessus, in palatium pontificium quae gubernatoris est sedes, ad reficiendas tantisper vires se recepit, atque ibi paulum respiraturus consedit. Nec ibi tamen partem requietis capere potuit, nisi admodum brevem atque intercisam. Nam et duos quos dixi cardinales in colloquium admisit, et episcopos gubernatoresque provinciae et clerum et magistratum urbis ad osculum pedis excepit. Rediit inde sub vesperam in sacram aedem ac solemnibus Divinae matris invocationibus (litanias lauretanas vocant), quae cum exquisito concentu decantatae fuerunt, interfuit. Intra sacram domunculam Virginis deinde inclusit se, perstititque aliquandiu supplex orare atque obsecrare Virginem beatissimam, ut quando in tutela eius esset ecclesia, sibi pro ecclesiae salute ac dignitate tam arduum iter agenti numinis sui praesentiam ostenderet. Sole demum occiduo domum se retulit, cumque vasta illa templi moles xistique contigui infinitis funalibus collucerent, tota autem area plena po-

pulo succlamante ac benedictionem exposcente esset, repente ostendit ipse se medium inter episcopos e loco superiore, solemnibusque adhibitis precibus ac ter ducta in formam crucis manu, expetitam benedictionem populo impertiit; quae res multitudinem incredibili gaudio perfudit. Sic illa dies peracta.

Successit dies itineris quinta, martii mensis tertia, quae cum esset dies dominica, priusquam discederet publice faciendum sibi sacrum Pontifex duxit. Primo igitur mane id ipsum religiosissime fecit ad aram in medio templo locatam Virginis ab Angelo salutatae. Quo facto cum audisset esse e provinciali nobilitate quamplurimos, atque ex his feminas bene multas quae pedem eius exosculari percuperent, id illis ab insita benignitate permittendum ratus, recessit in celebre cimeliarchium templi, ubi pretiosiora fidelium anathemata et oblata Virgini principum donaria servantur, seditque ibi plane patienter, donec omnibus factum est satis. Nec ita multo post iterum conscenso curru Senogalliam iter direxit. Ut ventum ad clivum qui Anconae imminet, vix credibile quantam reperit populi anconitani frequentiam. Tota fere civitas e suis excita sedibus in occursum exierat principis. Milites hinc inde dispositi viam custodiebant. Nobilitas quae primo se ostentabat loco, domos circumpositas aulaeis ac peristromatis honoris causa convestiri, lautum quin etiam parari ientaculum in diversorio iusserat, si quidem recusaret in urbem maiestatem inferre. Pius gratum habuit obsequium optimae civitatis, neque abnuit dum mutantur equi, de parato epulo quiddam libare. At excusata itineris properantia qua tum quidem in urbem introire vetaretur, post brevem moram remugientibus ab arce ac portu tormentorum curulium explosionibus quibus salutabatur, abscessit. Hinc adriatici ma-

ris legens oram Senogalliam sub occasum solis attigit, ac recta deferri voluit ad coenobium religiosorum quos Mariae servos nominant, ubi parari sibi hospitium iusserat. Urbs ea est conspicua ducatus urbinatensis, si desint cetera, sat a suis nundinis Italia tota celebris. Huc propterea Pontificis adventum praeverterat urbinatensis provinciae praeses Carolus Livizanus, quem ego virum non tam ob amicitiam quae mihi cum illo vetus et maxima est, quam ob praeclaras eius virtutes libenter nomino. Huc itidem antecesserat archiepiscopus urbinatensis et episcopi praeter eum tres, aesinus, fanensis et pisaurensis, hique omnes episcopo senogalliensi Bernardino Onorato cardinali se adiunxerant, in coenobii de quo dicebam aditu Pontificem recepturi, quem proinde prius in templum ubi venerabile sacramentum erat expositum, deinde in parata coenobii cubicula deduxere, ubi ad colloquium viritim admissi fuere.

Ab Senogallia die sequenti per aequatam ad mare planitiem veniendum erat Ariminum. Duae interiacent nobiles et opulentae urbes Fanum et Pisaurum, quae nonnullam properanti moram fecere. Fani enim cum Marcellino cardinali qui tum forte ob malam valetudinem in natali domo curationis causa degebat, longum ac familiare colloquium habuit. Pisauri vero Livizani de quo supra dicebam rogatu, ascendit in palatium pontificium, atque ex ornatissimo podio benedictionem apostolicam populo solemni ritu impertiit. Quare Ariminum nisi inclinato iam die non pervenit. Arimini porro ut in una ex urbibus Romandiolae, quam provinciam administrare solet unus aliquis e cardinalibus legati nomine, quamque tum forte Aloisius Valentus administrabat, is omnium primus occurrit venienti seque venerabundum obtulit. Legato cardinali ad-

stabat urbis episcopus magistratusque cum tota fere nobilitate. Et siquidem Pontifex in coenobio canonicorum regularium quos lateranenses vocant, pernoctare decreverat, adfuit ibidem abbas generalis eius ordinis cum magno suorum numero, hisque omnibus deducentibus sacram Marini aedem primo, deinde coenobium subiit. Et eodem vespere pedem omnibus osculandum praebuit. Vivebat Arimini in segregato convictu virginum Pontificis soror Olympia Braschia virtutis eximiae femina, eamque ob tantam sanguinis necessitudinem paulo infra reginae modum ariminenses colebant. Neque banc Pius dimittere insalutatam sustinuit. Rem tamen distulit in sequentem diem. Ut ergo diluxit, cum usitata explesset religionis officia, conscenso curru divertit ad parthenonem. Eo iam flos nobilitatis praecesserat. Stabat in vestibulo sacris stipata virginibus Olympia, quae fratrem ut vidit in pontificio amictu, quis explicet satis quos animi motus, quantam venerationis et gaudii colluctationem in sinu senserit? Vicissim Pius sororis amantissimae aspectu nonnihil commoveri est visus. Ad genua accedentem sustulit sua manu ac verbis amicissimis compellavit. Plane fraternus et amoris mutui plenus ille occursus fuit, ut intuentibus ubertim fluxerint lacrimae. Intro deinde se intulit in parthenonem totumque perlustravit. Admissis demum ad pedis osculum sacris virginibus, Caesenam quo ut in patriam praecipuo amoris impetu rapiebatur discessit.

Haud plus millia passuum quindecim Arimino distat Caesena, urbs situ visenda, ab aedificiis elegans ac propter maris propinquitatem opportuna in primis ac commoda. Nobilissima ibi Braschia gens est, quanquam eius originem ad se trahunt insubres alexandrini. Suo certe cive plurimum caesenates

gloriabantur Pio VI, quem proinde ut ad se venientem audiere, vix credibile quam multi, quanto ardore, in eius se occursum effuderint. Est ab urbe millibus passuum quatuor amnis modicus (pisatellum appellat vulgus, rubiconem Caesaris transgressu celebrem eruditi putant), qui proximum in mare illabitur. Huc usque Pontifici occursum est tanta frequentia, ut quamquam praeiret equitum agmen, aegre turbam se se propius inferentem propelleret, et currus pontificius non tam equis trahi quam humeris hominum supportari videretur. Urbem inter infinitas acclamationes intravit circa meridiem adiitque recta sacram Servorum aedem, ubi videlicet divina hostia magno cum apparatu publicae adorationi prostabat. Ut in conspectu fuit templum, occurrentem inde sibi suo incredibili gaudio vidit avunculum suum Carolum cardinalem Bandum episcopum corneliensem, eique circumsistentes episcopos sex, caesenatensem, foroliviensem, feretranum, cerviensem, brittinoriensem ac sarsinatensem. Pone clerus urbis magistratusque atque universa nobilitas sequebatur. Ipse templum ingressus cum paulum ante aram principem supplicantis habitu constitisset, secessit inde in sacellum, ubi Braschiorum gentilitia sepulcra visuntur, ac precatus impense Deum pro parentibus maioribusque suis, hoc expleto pietatis officio paternam in domum haud ita longe pedes transiit, duas ibi noctes quod nullo hactenus loco fecerat, inter consanguineos exacturus. Venienti se in genua provolutam obtulit soror eius altera, Iulia nomine, cum binis neptibus praeclara forma puellis, hisque iuncta erat fratris uxor vidua, ibidem in ipso domus aditu nixa genibus. Speciem non tulit Pius, plus nimirum hoc loco sanguini quam dignitati tribuendum putans, sed ab humo peramanter erectas secum

in domus interiora introduxit. Quicunque Pontificem nonnulla propinquitate attingebant, adfuere statim ad praestandum obsequium. Omnes humanissime excepti atque ad pedis osculum admissi sunt. Idem honor episcopis, magistratibus, omni denique civium honestiorum ordini indultus. Et quia circa domum magna hominum multitudo plaudentium ac benedictionem succlamantium perpetuo perstabat, se subinde Pontifex e podio conspiciendum praebebat, ac populum apostolica benedictione donatum dimittebat. Adfuit interhaec a Bononia comes Zambeccarius, cui erat iniunctum ab rege Hispaniae, ut in Germaniam proficiscenti summo christiani gregis pastori praestaret obsequium, ac faustum itineris exitum comprecaretur. Legationem pergrato accepit animo Pius, ac debitas regi gratias reddi suis verbis iussit. Ceterum eo die pedem domo non extulit.

Secuta est dies martii mensis sexta, qua die sacris operari cum vellet, id sibi praestandum censuit in aede urbis primaria quae vulgo dicitur cathedralis, atque in eo prorsus sacello ubi imago colitur Virginis antiquo cultu ac religione celebris, cui a populo est nomen. Exundabat promiscua populi multitudine amplum alioqui templum. Intra sacellum non sunt recepti nisi episcopi et consanguinei, praeter praesules quos secum Pontifex adducebat. Re peracta Pius omne sacrificale instrumentum quo erat usus, eidem aedi perpetuo habendum reliquit. Et erat in eo calix aureus eximii operis quem secum ab urbe attulerat. Secessit inde in sacrarium, ibique ad pedis osculum tum canonicos tum feminas illustriores admisit. Nec vero fraudanda sibi censuit vota virginum sacratarum, quae idem sibi concedi cupidissime postulabant. Quare monasterium adiit primo S. Clarae, deinde S.

Catharinae ubi eius ex sorore neptis officio fungebatur antistitae, et pedis exosculandi copiam mira omnibus comitate fecit. Denique ad publicum civitatis palatium transgressus, e solio eum in usum erecto solemni ritu populo benedixit. Sic transactum ea die, recte existimante Pontifice plus aliquid suae patriae quam ceteris urbibus tribuendum. Quod vacui fuerat temporis inter suos perquam familiariter duxit.

Postero deinde die, adulto iam sole cum sacrum praesente se fieri iussisset, ad Forum Cornelii iter intendit. Iter erat per viam aemiliam quae ut notum est, ab Arimino Placentiam usque protenditur. Crebrae intercurrunt modico intervallo urbes plus minusve opulentae, quae toto eo tractu commodissimum viatoribus reddunt iter. Ab Caesena venient primum occurrebat Forum Livii urbs nobilis et antiqua. Sed quamvis effusa in occursum Pontificis universa civitas, acclamatione et obsequio festinantem demorari conaretur, nihil amplius profecit, quam ut ibi paulum dum mutantur equi subsisteret, atque elata subinde dextra signum bene precantis populo faceret. Pertransiit post paulo Faventiam, urbem abunde claram atque a vasis fictilibus quae faventina dicuntur maxime celebrem. Nec ibi tamen acclamatione et obsequio amplius est retardatus, quam ut parumper diverteret in domum comitis Zannelli consanguinei sui, ibique ad osculum pedis episcopum faventinum et clerum et magistratum ac totam denique nobilitatem admitteret. Quo factum ut ad Forum Cornelii nisi primis se intendentibus tenebris non pervenerit. Et nihilominus templum urbis primarium primo accessu petiit. Aderat ad fores templi in amictu purpureo episcopus Corneliensis cardinalis Bandus, Pontificis ut supra dictum est avunculus, cum eoque clerus ac nobilitas universa. His co-

ram preces usitatas fudit ante sacram hostiam in altari propositam, atque inde in palatium episcopale se contulit. Neque hic tamen licet in consortio carissimi capitis, nisi noctem unam se detineri est passus, paulo longiorem facturus moram cum e Germania reverteret. Postridie rediit in templum tum ut incruento sacrificio assisteret, tum etiam ut vastam illam templi molem, quam ipse Bandus a fundamentis magnifico opere excitaverat paulo curiosius contemplaretur. Atque hinc Bononiam, eodem ad duo fere passuum millia assectante cardinali discessit.

Bononiam urbem inter italicas spectatissimam ac pontificiae ditionis facile primam, inter oppletas populo vias intravit adulta adhuc die, utque parari sibi hospitium iusserat apud Dominicanos, illuc itinere continenti devectus est. Venientem excepere ad fores templi duo cardinales Boncompagnus et Ioannettus, quorum alter legati, alter archiepiscopi bononiensis personam sustinebat. Ille senatum et senatus principem quem gonfalonerium vocant atque e nobilitate praecipuos, hic delectam ex ordine sacerdotali manum secum adduxerat. Pius per medium vadens, templum introiit cumque paulo ante sacram hostiam supplex ut erat solitus constitisset, hinc in coenobii interiora se intulit. Ibi cum vacuum suppeteret tempus, iam hunc iam illum e cardinalibus ad colloquium vocavit ac vario sermone detinuit, reliquos vero proceres ad pedis osculum perquam clementer excepit. Commune votum civitatis erat, ut Bononiae paulo longiorem quam usquam alibi moram traheret, idque multi suae urbis opes et amplitudinem metientes sperabant. Verum ipse Viennam ut ad metam longi itineris properans, deliberatum habebat sequenti die pervenire Ferrariam. Negans proinde fas sibi esse

de tempore quiddam demere, ac damnum in reditu se compensaturum promittens, noctem dumtaxat unam ut ferme alibi fecit Bononiae. At magnam sequenti die et quantam alibi nusquam animo voluptatem cepit, cum in cubiculum salutatorium egrediens, occurrentem sibi ac veneranti similem reperit Ferdinandum Borbonium parmensium Ducem eximia pietate principem, qui ob id ipsum Bononiam citato cursu venerat, et in eodem Dominicanorum coenobio hospitium snmpserat, ut praetereunti Christi vicario suum per se deferret obsequium. Talem atque ita affectum erga se principem magno cum honore verborum Pius accepit atque arcte complexus est. Eo deinde ad latns assumpto descendit in templum, atque in sacello ubi sacrum Dominici corpus quiescit, divino adstitit sacrificio. Transgressus inde in sacrarium nobilibus feminis bene multis quae id impense cupiebant, pedem obtulit osculandum. Postremo ne civitatem pontificiae benedictionis cupidissimam pio voto fraudaret, perrexit in palatium legati, atque inde populo confertissimo qui peramplum forum in genua provolutus implebat, solemni ritn benedictionem impertiit. Qui tum aeris campani urbe tota pulsus, qui fragor bombardarum fnerit, referre nihil attinet: illud notabilins ad latus Pontificis haesisse fere perpetuo parmensium Ducem, ut ab eo divelli vix posse videretur. Atque his peractis rebus Pius ut iam omni defunctus officio, inter effusas populi acclamationes exivit urbe ac Ferrariam iter direxit. Medium est Centnm nobile oppidnm provinciae ferrariensis, in eoque domus archiepiscopi bononiensis erat non incommoda. Hic Ioannetti invitatu paullum ad vires reficiendas consedit, eodemque ad vesperam vergente die Ferrariam tormentorum aeneorum ictibus centum quinquaginta salutatus intravit.

Ferrariae ut ferme alibi paratum illi fuerat hospitium apud Dominicanos, eaque propter huc et legatus cardinalis Franciscus Carafa, et archiepiscopus ferrariensis Alexander Matthaeus, et armorum praefectus comes Laurentius Soderinus, et praefectus arcis Iulius Mancifortus, et provinciae quaestor Antonius Gnudus (novi ego homines eosque amicitiae causa libenter nomino), et clerus et magistratus et demum nobilissimi quique convenerant ad excipiendum Principem. Gratum habuit Pius obsequium amplissimae ac fidelissimae civitatis, non prius tamen quam venerabile sacramentum in templo expositum adorasset, in coenobium subiit. Vix subierat, cum adesse nunciatur tabellarius qui litteras ferret Caesaris ipsi tradendas in manus Pontifici. Is ille erat nobilis e gente hungarica excubitor, quem tridno post discessum Pontificis Romam supervenisse supra demonstravimus. Intro igitur ducitur, litteras tradit. His Pius acceptis resignatisque litteris plurimum exhilaratus apparuit. Nimirum hac mente discesserat ab urbe Roma, ut quamdiu Viennae subsisteret, habitare vellet in sua domo quae nunciis apostolicis habitanda permittitur. At rei certior factus Caesar minus dignam pontificia maiestate habitationem putans, his modo litteris imperiale palatium Pontifici offerebat, eum quin etiam rogabat secum ut habitare sub eodem tecto ne gravaretur. Id aiebat magis e dignitate eius fore, sibi etiam ad congrediendum colloquendumque commodius. Nam tum forte Caesar oculis laborabat, atque ad avertendum maligni humoris affluxum curationem molestam subierat, cuius causa pedem efferre domo ac Nuncii domum frequentare vix posset. Hoc ergo urbanitatis officium grato accepit animo Pius, atque inde in spem rerum meliorum erectus, e vestigio in secretius conclave se-

cessi', ac sua ipse manu Caesari secundum postulata rescripsit. Tum litteris traditis tabellarium dimisit; quod vero reliquum fuit diei, partim audiendis seorsum legato et archiepiscopo, partim ceteris ad pedis osculum excipiendis qua solebat comitate dedit.

Luce nova quae dies erat martii mensis decima, cum e sua ditione transiturus esset in venetam, ac viam longiorem navi conficere cogeretur, surrexit paulo temperius ac nullam sibi moram ad discedendum inferens, continuo post sacrum quod in sacello privato celebratum est, secum assumptis Carafa legato ac Matthaeo archiepiscopo se dedit in viam. Abeuntem ut ante advenientem aera campana e turribus, tormenta bellica e propugnaculis salutavere. Est quarto ab urbe lapide ad padi ripam locus (pontem lacus obscuri vocant), qui portum efficit. Hic naves actuariae plures erant ac prae ceteris una eminentior, in qua duo conspiciebantur cubicula probe contecta, intus serico convestita, foris egregie depicta, specularibus etiam hinc inde instructa, quam in usum Pontificis construendam curaverat marchio Camillus Bevilaqua, vir inter paucos nobilis ac rerum prudens; erant et robustissimi remiges simili omnes atque eleganti vestitu. Huc ubi ventum est, Pontifex Carafam et Matthaeum et Gnudum et alios quosdam e patriciis qui una venerant, pleno benignitatis alloquio affatus, paratam navim cum Marcuccio ac Contessino conscendit. Ecce autem momento eodem supervenit e Bononia vir nobilis Comes Blancus, obsequia et faustas comprecationes ferens regis Sardiniae cuius legatione fungebatur. Hominem humanissime excepit Pontifex et cum magna gratiarum actione dimisit. Tum secundo amne velis remisque vehi, simulque ad augendam celeritatem trahi remulco coepit,

parva sequente classe quae partem comitatus reliquam sarcinasque gestabat. Hic vero si usquam alibi, perspicere licuit, quantum in omnes partes apud mortales religio valeat. Vulgato Pontificis maximi per eum Padi tractum itinere, ad oram utramque fluminis tanta hominum multitudo confluxerat, ut spectaculi instar haberet. Undique clamores fausta precantium ac sibi benedici poscentium exaudiebantur. E pagis interea circumpositis aera campana ut in festis solemnioribus personabant. Scires transire vicarium Christi. Pius aegre lacrimas continebat, seque identidem videndum praebere, fere perpetuo offerre dexteram cogebatur. Dum ita per Padum progreditur, eo cum devenisset unde per canalem deflectendum erat ad portum Brundolum, qui locus ditionem venetam a pontificia disterminat, sibi in occursum venientes diversis lintribus videt episcopos Adriensem et clodiensem; mox Vincentium Ranntium apostolicae sedis apud venetos nuncium: postremo Barptolemaeum Gradenignm urbis Clodiae praetorem, hisque omnibus suam in navim benigne receptis porro ire perrexit, donec ad Clodiam sole occidente appulit, horis haud plus decem navigando confectis.

Clodiae quae prima occurrebat venetorum urbs, paratum illi fuerat hospitium sumptu publico in amplis aedibus viri nobilis Barptolemaei Grassi, et erat domus regalem ad luxum ac magnificentiam instructa. Ad fores inventi duo legati reipublicae, primi ordinis viri, procuratores quos vocant S. Marci, Aloisius Contarenus et Ludovicus Maninius, qui huc praecesserant cum mandatis, ut Pontificem senatus nomine venerarentur, eique deinceps tota ditione veneta ad austriorum usque confinia subservirent, ac rebus omnibus praesto essent. Hi Pontificem in terram egredientem venerabundi excepere,

ac per viam tapete instratam in eam quam dixi domum introduxere. Secuti sunt episcopi praeter clodiensem et adriensem de quibus supra dictum est, patavinus, brixiensis, feltriensis, famaugustanus, caprulensis, cremensis et cum his abbas asolanus idemque episcopus cidoniensis, quos nimirum visendi venerandique Pontificis studium huc e suis transvexerat sedibus. Aderant et patricii veneti plures huc itidem ab eodem studio progressi. Pius cum paulum apud se quievisset, duos primum legatos, deinde episcopos in colloquium admisit. Viris demum cunctis nobilibus ac sacerdotibus quibus collibuisset, pontificium exosculari haud gravate pedem porrexit. His autem confectis rebus mensae accubuit apparatissimae, cuius omne instrumentum ex auro erat. Separatis in aulis comites eius et administri discubuere. Reliquam episcoporum ac nobilium advenarum turbam, lauto epulo in palatio praetorio Gradenigus excepit. At enim populo qui tum erat Clodiae frequentissimus, satis non erat semel transeuntem vidisse Pontificem, sed praeterea benedictionem apostolicam cupidissime deposcebat. Sensit urbis episcopus, eaque de re Pontificem reverenter admonuit, qui ut erat facili ingenio et hominibus demerendis natus, se vero facturum promisit. Mane igitur postero cum de more sacrae adstitisset rei, processit in podium ornatissimum domus, seque conspiciendum obtulit. Eo adspectu innumerabilis hominum multitudo procubuit in genua. Ut vero solemnes proferre preces et signum crucis ter ducta manu coepit effingere, tantus exstitit religionis ac pietatis sensus, ut omnes corpus totum atque adeo frontem ad terram usque deiicerent, quae species magnam intuentibus admirationem atque animi commotionem peperit.

Nulla inde mora interposita secum assumptis ut ante suam in actuariam Ranuccio nuncio apostolico, Marcuccio et Contessino, ac praeter hos legatis reipublicae Contareno ac Maninio, e portu clodiensi solvit. Sequebantur alia duo navigia splendidissima iussu reipublicae in usum Pontificis missa. Iter hinc fuit per emissarium quod cum medoaco amne iungitur, ac deinceps per medoacum ipsum donec influat in aestuarium adriaci maris, in quo medio sita urbs Venetiarum est. Hunc per amnem qui angusti est alvei plura occurrunt ad aquam sustentandam repagula lignea (portas appellant Veneti), quae dum removentur, aliquantulum navigatio retardetur necesse est. Ad unum ex his ventum cum esset (Mirae nomen est loco), dum porta reducitur, sese Pontifici venerabundum obtulit Fridericus Ioannettus Venetiarum patriarcha. Hominem sibi satis cognitum, nec virtute minus quam dignitate spectabilem, Pius peramanter excepit suam in navim, quin secretius in conclave seductum longo ac familiari sermone detinuit usque ad Coriacum, quo loco alia ex portis de quibus dicebam occurrit. Paratum ibi fuerat Pontifici epulum sumptuosissimum, quod ille tamen cum gratiarum actione recusavit, nam ut aiebat navigantem opprimeret in lacuna. At prohibere non potuit ne Petrus Barbaricus, nobilis in primis piusque vir atque unus e decem patriciis iuri dicundo praepositis, cuius in aedibus instructum convivium fuerat, ad eius pedes se abiiceret perfusus lacrimis iisque osculum prō insita religione figeret, id quod aliis quoque piis e veneta nobilitate viris ac feminis eo loco permissum est. Sic omnia ea repagula continenti itinere praetervectus ad Fusinam pervenit, ubi medoacus se se in aestuarium exonerat. Hic e sua navi migrandum sibi censuit in unam ex iis, quas duo quos

dixi legati secum adduxerant, hisque una secum praeter Ranutium, Marcuccium et Contessinium receptis, vehi per lacunam coepit Mestram versus, ubi pernoctandum erat.

Propositum illi erat ad evitandas turbas absistere ab urbe longius, unum tamen eius latus radere propter subsidentiam aquae coactus est, quae res cum omni venetorum civitati, tum praesertim sacris quibusdam virginibus quae videre Pontificem percupiebant, commodissime accidit. Nam cum secus earum coenobia transiret navis pontificia, ea vix conspecta suas certatim pulsare campanulas coepere seque e fenestris xistisque conspicuas praebuere: cuius admonitus rei Pius prolato tantisper vultu ac sublata dextera iisdem incredibili earum gaudio benedixit. Ceterum videndi e proximo summi ecclesiae Pastoris magna omnes cupido tenebat. Vix proinde vulgato eius adventu tota fere civitas e suis exierat sedibus, seque per lacunam effuderat tanto navicularum concursu, ut tota naviculis instrata superficies videretur, nec usquam aquae tantulum apparere'. Et undique clamosae voces benedictionem implorantium personabant, quam ille elata hinc atque hinc dextera liberaliter largiebatur. Hunc tantum populi concursum praeviderant senatores, et veriti si in angustum adigeretur, ne quid inde oriretur adversi (nec enim erat dubitandum quin certatim urgerent propellerentque se naviculari i), ita res composuerant, ut opportuno loco in terram Pontifex egrederetur, ac viae reliquum non per canalem, sed terrestri itinere Mestram usque conficeret. Itaque ad Malgheram (id loco nomen), amplam parari scalam iusserant qua ripam supervaderet. Tapetibus instrata ea erat, ac desuper amplo tentorio si res posceret, cooperta ad arcendam pluviam. Nec ibi nisi episcopis ac patriciis locus, qui quidem navi

egredientem scandentemque nixi genibus excepere. Turbam dispositi in ordines milites repellebant. In promptu scinges erant. Hic ergo currum denuo conscendit, ac viam quam celerrime pervolans, praecedente equitum armatorum centuria, sequentibus aliis magno numero curribus, Mestram nocte ineunte pervenit, atque in aedes nobilis viri Erizzo a binis quos saepe dixi S. Marci Procuratoribus est introductus. Iam non est ut dicam quantum hic obsequiorum invenerit. Praeverterant enim incredibili prope numero nobiles viri ac feminae ut Christi vicarium venerarentur, ac venientem cupidissime opperiebantur. Aderant prae aliis omnes principum exterorum apud rempublicam legati, ut sui quisque principis obsequia deferrent. Sed neque pauci vel per canalem naviculis vel terra curribus vecti supervenere. Fuere in his episcopi octo: tarvisinus, torcellanus, patavinus, brixiensis, clodiensis, feltriensis, famangustanus, caprulensis, cremensis, quorum aliqui licet supremum religionis Antistitem venerati iam fuerant ut supra vidimus Clodiae, nondum satis officio factum existimantes, in eius nihilominus comitatum ultro se coniecere. Pius tanta multitudine haudquaquam absterritus, atque omnium votis quoad eius fieri potest obsecundandum ratus, primo Durazzium marchionem ac marchionem squillacensem, illum Caesaris, hunc Regis Hispaniae Oratorem, separatim vocari ad se iussit, cum iisque proprium ac peculiare colloquium habuit. Pari deinde modo omnes singillatim admisit legatos et episcopos. Postremo honestiores quosque viros pariter ac mulieres ex eminenti solio ad osculum pedis excepit. Quodque magis mirere, cum singulis aliquid verborum fecit, idque adeo simul apte atque affabiliter, ut omnes intime affecti ac mira quadam voluptate perfusi di-

scederent. Plures horas haec alloquia tenuere. Hinc in aedium interiora se recepit, ubi paratam reperit aquam in vasis aureis. Sic transactum ea die quae dies fuit martii mensis undecima. Noctu ardentibus e cera facibus palatium omne colluxit. Ad fores lecta militum manus per suas vices egit excubias.

Nihilo minus obsequiorum et par ferme labor die sequenti fuit. Haec enim duo ferme iunguntur. Et nullibi forte maior quam apud venetos religionis cultus atque erga summum Pontificem veneratio. Iter fuit hoc die per passuum millia triginta tria ad Sacillum usque, amplum ac nobile oppidum ad Liquentiam flumen, ubi paratum illi hospitium in domo gentis Flanginiae. Huc prius quam venias occurrit post decem millia Tarvisium, urbs praeclara, cognominis provinciae caput, ad eamque plana ac commodissima ducit via. At multi interea viri nobiles e Tarvisio Mestram cum suis liberis ac coniugibus Pontificem veneraturi venerant. Quod ille ut accepit, his etiam gratificandum ratus, priusquam discederet denuo se cunctis affabilem permittere ac pedem osculandum praebere coepit, quae causa fuit ut nisi adulta iam die discedere non potuerit. Discessit tandem et cum novo ac magnifico apparatu. Praeibant enim antecursores in equis ac cubicularii plures eleganter induti, atque ad custodiam centuria sagittariorum nudatis ensibus. Pone longissimum curruum ordinem cerneres praeter Pontificios; namque e veneta pariter ac tarvisina nobilitate permulti honoris causa se contulerant, ut nihil ad pompam itineris ac splendorem deesset. Sed nihil aeque spectaculo fuit ac multitudo agricolarum, qui huc e proximis remotisque populosissimae provinciae locis, videndi veneraudique summi Pontificis causa conflu-

xerant adeo frequentes, ut ipse quo conspectior esset contineri equos, ac paulo lentius progredi currum iusserit. Et omnes undique flexis genibus benedictionem succlamabant. Matres filios parvulos ostentabant, iisque benedici suppliciter flagitabant. Erant quin etiam qui conscenderent arbores, ut inde commodius Christi vicarium intuerentur, eique se conspiciendos praeberent. Quorum ipse pietatem perspiciens vix lacrimis temperabat, nullumque finem benedicendi faciebat, prope ut languesceret signo crucis efformando manus. Tarvisium ut ventum est, ad aedem cathedralem venerabile sacramentum quod erat cum splendido apparatu propositum, adoraturus exscendit. Exscendentem episcopus tarvisinus cum omni clero, atque urbis praeses Marius Zenus e genibus excepere. Discedens populo innumerabili qui ante fores in genua provolutus perstabat, ex ipso templi vestibulo benedixit. Tum actis venetae ac tarvisinae nobilitati gratiis, iter reliquum pari cum pompa confecit, nisi quod curruum plerique Tarvisii constitere aut retro Mestram rediere. Per Conclianum transeunti, se suaque omnia cum magno verborum officio obtulit oppidi praeses Iacobus Contarenus, nihil eum tamen demorari potuit, nisi quatenus populo supplicanti benediceret. Sacilli in ipso domus flanginianae limine, venientem opperiebatur episcopus cenetensis cuius in dioecesi situm oppidum est, unaque aderat loci praetor Nicolaus Pizzamannus cum multis ex utroque sexu nobilibus, quos inter Andreas Reinerius serenissimi Ducis filius praecipue conspiciebatur. Pius huc delatus atque a binis quos saepe nominavi, S. Marci procuratoribus in domum introductus, primo episcopum, deinde nobilium turbam adduci ad se iussit, ac singulis pedem osculandum qua solebat verborum comitate prae-

buit. Reinerium vero prae cunctis comi ac familiari sermone detinuit, donec in vasis aureis, ut ante Clodiae Mestraeque, coenatus cubitum iit.

Successit dies martii tertia decima, qua die Vtinum, urbem foroiuliensis provinciae primariam ac venetae ditionis ultimam, eundum erat. Huc properantem par ubique agricolarum concursus, nec absimilis conclamatio deduxit. Viam secat filaventum mirae rapiditatis fluvius, qui pontem nullum patitur. Quare Pontifici traiiciendo contecta serico atque eximie adornata fuerat navis. Eo transmittente ripam utramque fluminis innumera hominum multitudo complebat, ac benedictionem sublato clamore implorabat. Fuit etiam e nobilibus provinciae (Ludovico Valvasonio erat nomen), qui e navi egredientem excepit meditata atque apta tempori oratione, cui ipse stans in vestigio commode ac perquam benigne respondit. Vtinum attigit proclinato in vesperam die, quique praeibant antecursores, in domum Comitis Antonini currum pontificium recta duxere. Vt adfuit propius, in genua procidernnt qui stabant ad fores, hinc archiepiscopus utinensis et episcopus iustinopolitanus cum omni clero, inde urbis praetor Ioannes Barbarus cum omni fere foroiuliensi nobilitate, quae unam in urbem ex tota circum regione contracta videbatur. Pius in aedium superiora traductus, in solio quod erat sub amplo conopeo paratum consedit, vocatosque ad se seorsum episcopos ac praetorem humanissime affatus, totam deinde nobilium turbam ad osculum pedis admisit. Verum hoc perfunctus officio, reputans locum hunc esse venetae ditionis ultimum in quo pernoctaret, quidquid erat famulitii ac totam adeo legionariorum centuriam, quae hucusque reipublicae impensa venerat, pecunia remunerandam censuit. Vo-

catis inde ad se Contareno, ac Maninio pro navata sibi per triduum tam sedulo, tam diligenter opera, gratias humanissimis verbis egit, planeque iniunxit ut par officium cum duce ac senatu suis verbis agerent. Utque nonnullum haberent pignus benevolentiae suae ac grati animi testimonium, precarios e pretiosis lapillis globulos indulgentiis locupletatos, et gemmatum numisma suam effigiem referens, utrique dono dedit, ac par munusculum ad uxores eorum perferendum commisit. Nec eo contentus, comperto Maninium nondum equestri ordini inscriptum esse, eum solemni formula equitem auratum dixit, darique aptas in id litteras iussit. Quibus rebus miram agendi affabilitatem adiungens, vix credibile quantum viros alioqui nobiles ac generosos, sibi devinctos atque obligatos reliquerit. Nec ideo tamen illi Pontificem, nisi in ipso utriusque ditionis limite deseruere.

Sequenti nimirum die Pius Goritiam profecturus cum esset, nec ante itineri se committere sustineret quam sacro adstitisset, aedem adiit cathedralem ea causa pedes, euntemque iidem duo S. Marci procuratores, praeter archiepiscopum, praetorem, canonicos et magnum nobilitatis agmen circumstetere. Templo deinde atque urbe egressum, iidem ad usque austriorum confinia, eodem quo venerant ordine deduxere. Quo demum loco Pius iterum gratiis actis, dimisit venetos ac se deinceps germanis ducendum permisit. Hic porro propter iniquitatem temporis non inventus ex austriis, qui Pontificem salutaret, nisi goritiensis praesidii praeses cum parva equitum manu quae viam praeiret. At Goritiam iam ante ab aula venerat missu Caesaris comes Cobenzelius, vir magni in aula nominis et officii, habebatque ab ipso Caesare mandata, ut exceptum quo decet honore Pontificem Viennam

usque perduceret, ac toto itinere rebus omnibus providendum regio sumptu susciperet. Quae quidem ille mandata cum fide curaque implevit. Repertus praeter hunc Goritiae Garampus sedis apostolicae apud Caesarem Nuncius, qui suo obviam venerat Principi. Solus aberat archiepiscopus Rodulphus Iosephus ab Edlingo; is enim propterea quod Caesari iniquiora, uti putabat, praecipienti parere recusaverat, exulabat. Novo igitur auctus comitatu Pius, quod reliquum viae fuit octiduo confecit, Carniolam, Carinthiam, Stiriam feliciter praetergressus. Designatae opportunis locis stationes erant ubi noctem duceret. Vbique paratum regali luxu hospitium inveniebat. Milites ubique ad custodiam et multi in equis, qui anteirent ac sese per vices commutarent. Vbique demum magnae honoris significationes et maiores futurae, nisi ipse recusaret. Illud tamen notabile, quod quo recedebat ab urbe longius, eo plus ciebat concursuum, plus venerationis et obsequii colligebat. Nimirum Pontificis Maximi aspectus in Germania res erat adeo insolens, ut portento similis haberetur. Quis autem non eum vellet praesentem intueri, cuius videndi causa tam multi Romam usque peregrinari non dubitant? et deinde Germani, si sunt catholici, vere tales atque intime, non perfunctorie sunt, ac mirum in modum religione tanguntur, quem supremum ecclesiae pastorem, quem Petri successorem, quem Christi in terris Vicarium, quem denique omnium mortalium dignitate primum sciebant, eum prope ut Numen adspectabant ac sibi videndum existimabant. Non ergo referam diligentius post haec qui concursus ad eum fierent, quae tollerentur eo transeunte voces, quanto clamore, quam suppliciter eius benedictionem omnes exposcerent. Haec enim si quoties acta sunt, toties referenda susciperem, plus nimio fa-

tigarem lectores ac me dies pariter ac verba deficerent. Totam dumtaxat reliqui itineris seriem ordine tradam, si qua vero potiora ac scitu digna videbuntur, silentio non tegam.

Goritiae igitur quae Foroiulii munita civitas est, in domum Lantherii Comitis ornatissimam Pius exscendit. Exscendentem quem dixi legatus Caesaris Cobenzelius et Garampus excepere. Ante aedes habentes arma milites instructa acie ac venientem usitato tubarnm ac tympanorum sonitu salntavere. Ad fores, per scalas atque ad singula prope cubicula nobiles excubitores, quos enm ιu usum Caesar miserat. Aderat clerus, aderat nobilitas universa, et pleriqne Pontifici obsequinm profiteri pedis osculo gestiebant. Hos Pins in diem sequentem distulit. Principio legatnm Caesaris in colloqnium admisit, accepitque ab eo scriptas ipsius Caesaris manu litteras, admisit deinde summum belli dncem Estherasium Comitem, qui minores magno numero praefectos secum habebat, postremo Garampum longo sermone detinuit. Nec fefellit die sequenti fidem. Promissi memor nobiles quosque viros ac feminas atqne omnes fere sacerdotes ad osculum pedis excepit, fidemque suam non liberavit modo, sed etiam comitate vicit. Tum ad aedem urbis principem cum maximo comitatu se contulit, ubi sacra peracta res est. Atque hinc apostolicam benedictionem populo elargitus, praeeunte nobiliorum excubitornm agmine, habens proprio in cnrru praeter pontificios Cobenzelium, Adolsbergium iter intendit Illuc in antecessnm venerat Franciscns Philippns Inzagus episcopus tergestinus, cum eoqne magnus nobilium numerus ex tota fere Istria ad Pontificem venerandum accesserat. Episcopnm in ipso hospitii aditu ad pedes accedentem Pius peramanter amplexus est, ac ceteris pari benignitate pedem

osculandum praebuit. Ceterum Adelsbergii ut in loco tenui minus officiorum, haud minus commodi, plus requietis et otii fuit.

Hinc die postero Labacum, praecipuam Carniolae urbem transiit, atque in palatium ordinis teutonici recta inductus est. Venientem excepere episcopi duo, Herbersteinius labacensis et Scrottembacchius lavanmundensis cum tota urbis nobilitate. Quod vero magis, ad eum salutandum venerandumque supervenit e Clangenfurto Marianna austriaca soror Caesaris, ac splendidam virorum ac feminarum manum secum adduxit. Talem Pius ut acceperit, quam honorifice, quam amanter feminam, coniicere promptum est. Ceteris quoque ut ferme alibi se mire facilem atque affabilem praebuit. Nec vero prius cubitum iit, quam sacros civilesque coetus ad osculum pedis admitteret. At eius gaudium cumulavit sequenti die Marianna quam supra dixi austriaca. Vix enim e vicina aede ubi sacro adstiterat, reverso in domum ac proxime discessuro se rursum obtulit virgo regia nobilium feminarum choro stipata, utque supremum salutationis officium religione compleret, in genua provoluta, ut sibi, ut sodalibus suis benediceret precibus intimis petiit atque impetravit. Ceterum a Labaco Pius Cilleiam, e Cilleia Marpurgum, e Marpurgo Graecium, urbem Stiriae principem, consecutis diebus venit. Quanquam autem omnibus locis usitata honoris et obsequii documenta acciperet, plusculum delectari est visus Graecii, tum quod religiosa in domo uti cupiebat hospitari, tum praesertim quod sacram effigiem Virginis quam a succursu vocant, antiquo cultu celebrem invisere licuit. Descendit ergo e curru in monasterium S. Lamberti ordinis cisterciensis, ibique veneranti similem reperit Iosephum ab

Arco episcopum Seccoviensem, tum urbis ac provinciae Gubernatorem Comitem Lictesteinium, ac praeter hos coenobii praesidem cum sua familia, et militiae praefectum cum minoribus belli ducibus ac totam denique urbis nobilitatem. Cui tanto venerantium numero talem ipse se praestitit, ut nescias maioremne benevolentiam an existimationem sibi conciliaverit. Mane postero eadem assectante turba atque insuper adhibitis ad augendam pompam militaribus copiis, divertit ad aedem Franciscanorum Conventualium ubi sacra quam dixi divinae matris imago colitur. Ibi sacrae adstitit rei, populo benedixit, circumstantibus gratias egit atque hinc iterum conscenso curru Motenum profectus est. Est id oppidum minimae celebritatis, ibique Caesar parari Pontifici hospitium iusserat. Qui proinde illuc recta devectus est, ibi noctem traduxit ac postridie bene precatus comiti Stuppembergio eiusque coniugi, Stupacum discessit, locum nocturnae mansionis ultimum ac Viennae proximum.

Stupaci paratum sibi hospitium reperit in aedibus Comitis Wurmbrandii. Huc iam ab Vienna convenerant et archiepiscopus cardinalis Migazzius, et regis Hispaniae et venetorum apud Caesarem orator, et legatus regis Lusitaniae et quibus demum cumque praecipua cura ac cupido fuit testandi erga supremum christiani gregis Pastorem obsequii, qui quidem omnes humanissime excepti auditique sunt. Quo interea die Pontifex Stupacum tendebat, eodem Caesar cum fratre Maximiliano in occursum Pontificis veniebat. Ac primo quidem Neostadii haud ita longe a Vienna substitit, ibique pernoctavit. Postridie vero qua ferme hora Pontifex e Stupaco, eadem ipse a Neostadio discessit. Iamque ad quinque fere passuum millia processerat Caesar cum in conspectu ha-

buit currum pontificium. Continuo exscendit e suo, et gradum accelerans appropinquavit tanta festinatione, ut Pontificem itidem exscendentem anteverterit, eique manum adiutricem porrexerit. Secutum est breve colloquium Pontificem inter et Caesarem; breve inquam, sed officii et amoris mutui plenum, seseque invicem amplexati osculatique sunt. At Maximilianus princeps ecclesiae addictus et iam episcopus designatus, se continere non potuit quin apprehensam Pontificis manum oscularetur. Cui Pontifex defixo fronti osculo vicem peramanter reddidit. Caesar post haec recepto suum in currum Pontifice ad laevam assidens, alio sequente curru quo Maximilianus cum suo armigero vehebatur, Neostadium repeti iussit. Brevis ibi fuit mora, dum scilicet Pontifex militarem academiam quae florentissima ibi est viseret. Placuit enim Caesari tantam iuventutem quae suos in ordines pulcre disposita cernebatur, obiter spectandam praebere Pontifici, qui ea specie haud parum est delectatus. Ambo deinde nobiliore conscenso curru, sequente uti prius archiduce Maximiliano, inter duas alas nobilium excubiarum quarum altera ex hungaris, altera e polonis, utraque pulcherrime phalerata erat, praeeuntibus cursoribus et loricatorum agmine, hinc rursum coepere progredi, donec inter infinitam populi plaudentis et acclamantis multitudinem, quae per duo ferme passuum millia sese extra urbem effuderat, Viennam intravere adulta adhuc die, atque ad Imperiale palatium recta devecti sunt. Propositum fuerat Caesari ut multo splendidiore apparatu Pontifex intra urbem reciperetur, sed pompam ac fastum obnixe deprecante Pontifice (id quod ex Garampo qui citatis equis e Goritia reverterat cognitum est), alia sedit sententia. Itaque novam quam dixi receptionis formam temperatiorem

inire maluit. Et nihilominus in eodem cousidentes curru duo viri mortalium summi, hinc Pius VI. Pontifex, inde Iosephus II. romanorum imperator, tale spectaculum praebuere, quale nusquam alibi orbe toto possis adspicere.

Sic advenientem excepere Pontificem sub ipsum palatii aditum legati omnes principum exterorum praecipuique Caesaris administri cum omni turba aulica, eique prima honoris ac venerationis documenta praebuere. E curru descendentem adiuvit manu ipse Caesar, eundemque ipse fraterque Maximilianus medium accepere, atque in eam palatii partem introduxere, ubi regina eorum mater habitare consueverat. Haec enim illi diaeta fuerat ad habitandum destinata, quamdiu Viennae subsisteret. Hic paulum quietis capieudae causa cum consedissent, inde in sacellum aulicum transiere, ubi venerabile sacramentum erat cum insigni pompa publicae venerationi propositum, atque ibi hymnus ambrosianus praecinente Garampo ab symphoniacis est decantatus. Quo facto dimissa procerum turba est, Pontifex autem ac Caesar in sua quisque cubicula se recepere.

Viennam Pius introiit die mensis martii vigesima secunda, diebus in itinere factis quatuor supra viginti, mansitque ibi usque ad vicesimam secundam aprilis mense integro. Quid rerum confecerit in eo rerum genere quarum unice causa venerat, nunquam ad liquidum compertum est. At si factis quae secuta sunt credendum, multa Caesari suprema sua auctoritate indulsisse Pontificem, nec pauca Caesarem Pontificis auctoritati et gratiae condonasse existimandum est, de quibus erit alibi dicendi locus. Sane toto hoc tempore mira inter utrumque animorum coniunctio ac verus amor apparuit. Nec facile dixerim quam splendide interea et quanto

cum honore sit habitus Pontifex cura et impensa Caesaris. Quaedam ex iis libet attingere, ex quibus capi de reliquis coniectura poterit. Ac primo quidem cubicula Pontifici attributa ad omnem magnificentiam instructa erant, villoso holoserico caerulei coloris contecta ac taeniis argenteis interstincta. Unum ex his privatum in sacellum fuerat versum erecto altari splendidissimo. In proximo habitabat ipse Caesar, quo nempe commodius ambo convenire inter se possent et colloqui. Haec deinde praecise edixerat Caesar, ut ex tribus nobilium excubitorum classibus qui germani, hungari ac poloni sunt, aliqui perpetuo excubarent in uno ex interioribus Pontificis cubiculis, seque per suas vices commutarent, eo in interiore cubiculo unus semper aliquis ex aulicis intimae admissionis cubiculariis consisteret, isque statis diebus Pontificem quocunque extra domum pergeret, assectaretur. Praeterea ut quoties Pontifex prodire vellet in publicum, praeter aulicos famulos, tres praesto essent currus seiuges, quorum primo eoque splendidissimo ipse Pontifex, aliis comites eius et administri veherentur; ut agmen equitum praeiret ad submovendam turbam; ut currum pontificium quatuor nobiles excubitores, duo hungari ac poloni totidem amictu splendidiore spectandi sequerentur. Haec Caesaris praescripta exacte semper servata sunt, nisi si aliquando ipse Caesar sese Pontifici adiunxisset in eodem curru. Tunc enim ex his aliqua ad celeritatem negligebantur. Ceterum cum hoc medio tempore alii super alios episcopi Viennam ex omni Austria, Hungaria, Moravia, Bohemiaque ad praestandum Pontifici Maximo obsequium convenissent, quoties in publicum progrediebatur, eorum ipse par secum assumere consuevit in eodem curru, et semper crux pontificia ante eum

sublimis in equo gestabatur. Quae quidem in summam contracta praefari libuit, ne in rerum dicendarum decursu eadem saepius repetere cogeremur.

Priores duos ab adventu dies sibi ad quiescendum Pius sumpsit, si quies tamen dici potest se perpetuo adventantibus praebere spectandum alloquendumque, et infinitis salutationum formulis fatigari et obtundi. Nemo enim his diebus fuit paulo nobilior sive ex aulae curatoribus ac magistris, sive ex urbis magistratibus ac belli praefectis, nemo adeo ex legatis principum catholicorum, episcopis exteris atque ordinum religiosorum praesidibus, qui non adire Pontificem ecclesiae Maximum eiquê obsequium profiteri voluérit. Qui cum omnes nullo fastu ac supercilio, sed mira potius comitate exciperentur, ipsi etiam principum acatholicorum legati ad eum salutandum venerandumque accessere, eiusque alloquio urbanissimo atque ore ipso venustatis dignitatisque pleno capti perinde ac ceteri discéssere. At post biduum dies cum rediret Virgini ab Angelo salutatae sacra, mensis martii vicesima quinta, exire primum domo atque in aedem Cappuccinorum se ferre constituit, ut ibi sacrum operaretur. Re per urbem vulgata is hominum Pontificem videre cupientium concursus fuit, ut praeter consuetam excubitorum custodiam, sepiendae fuerint militibus viae ad multitudinem continendam. Intra aedem non sunt admissi nisi praesules atque e nobilitate praecipui. Sacram litavit Pius hostiam ad aram Divinae matris. Inde per scalam interiorem descendit in templi subterranea, ubi austriacae gentis sepulcra servantur. Ara ibi est funebris quae urnam ingentem prospicit, Francisco Caesari ac Mariae Theresiae eius coniugi commune sepulcrum. Pius in genua procidit ac pias pro utroque pre-

ces ad Deum fudit. Singulas deinde urnas augustae familiae perlustravit. Ad extremum cum intelligeret esse nobiles magno numero viros ac feminas, quae pontificii pedis exosculaudi copiam sibi fieri vehementer exposcereut, convenir · omnes in coenobium atque adeo in fratrum coenationem iussit, eodemque ipse conscendit, atque omnes ad pedis osculum perquam clementer excepit. Quo facto in palatinm quo venerat ordine se recepit.

Diebns proxime eonsecutis qui dies erant sanctioris hebdomadae nomine cousecrati, domi se continuit. At crebra hoc tempore ac longa illi cum Caesare colloquia fuere, sese enim invicem invisebant. Utque ego opinor Pius in'er haec pro divina sua potestate Caesarem iis anathematnm vinculis, quibus ob interceptas ecclesiae opes concilii tridentini lege adstringebatur exsolvit. Certe feria quinta ineunte iu aulicum sacellum Divi Iosephi titulo insiguitum exscendit, sacraque peracta re Caesari pariter atque archiduci Maximiliano qui eodem paschale praeceptum impleturi desceuderaut, sua ipse manu divinam dapem impertiit. Quidquid id sit quod ita ut dixi interpretari fas est, stata inde hora per domesticum ambulacrum ad aedem anlicam quam augustiniani excalceati administrant, solemnibus eius diei religionibns interfuturus transiit. Erant tum Viennae S. R. E. cardinales quatuor numero Migazzius viennensis, Bathianus strigoniensis archiepiscopus, de Firmien episcopus et princeps passaviensis, et qui recens ab urbe Roma ut supra demonstravimus venerat Hersanus. Hi pontificem suis amicti trabeis una cum archiduce Maximiliano ad aedem de qua dixi deduxere. Sacrum augustiore ritu Garampus fecit. Spectavit ex pergula quae regiae domus propria Pontifex. Ast ubi ad sepulcrum trans-

ferenda fuit ut diei consuetudo fert sacra hostia, sacerdotali sumpto indumento ac mitra pontificali descendit in templum, eamque ipse caeremoniam peragere voluit. Acta porro est pari pietate ac pompa. Nardinus crucem quem suo loco memoravimus praetulit. Praeivit supplicantium ritu longum sacerdotum atque episcoporum agmen. Cardinales in sacro amictu sequebantur. Hastilia conopei primores aulae sustentabant. Plures caesarei custodes corporis germani, poloni atque hungari Pontificem mysteria ferentem circumstetere. Reversus inde in palatium ac paulum intra sua cubicula commoratus, amplam in aulam cum eodem comitatu venit, ac duodecim selectis e pauperum grege senibus, pedes exemplo Christi abluit. Qua in re nihil omissum ex iis quae rituales libri praescribunt. Postremo iisdem ad mensam accumbentibus, cardinalium et Maximiliani archiducis ministerio adiutus sua ipse manu dapes distribuit, donec singulos binis numismatibus uno ex auro, ex argento altero uti mos Romae, donatos reliquit. His quae intra domesticos parietes gerebantur adstitit assidue magna religione Caesar. Duodecim quin etiam quos memoravi senibus aureos duodenos in singula capita distribui iussit. At ne in apertum progrederetur maligni ad oculos humoris affluxu impediebatur. Eam ob causam sequenti die quanquam solitus quotannis cum tota turba aulica sacras aedes circuire atque in sepulcro abditum Christi corpus ire adoratum, hoc anno domi se continuit. Vicem supplevit tamen Pontifex qui aulae morem secutus, quinque aedes sacras ab aede nationis italicae exorsus invisum iit. Qua in circuitione praeferri sibi crucem iussit, et Maximilianum archiducem, cardinales, ingentem episcoporum numerum atque

omnes aulae purpuratos, praeter consuetam Caesaris custodiam una secum adduxit.

Successit una interiecta die dies dominica qua triumphalem Christi resurrectionem ecclesia recolit, ac tum vero quantum ad urbis celeberrimae celebritatem Pontificis praesentia adderet conspici potuit. Nunquam Viennae tantus exterorum concursus hominum memoria fuisse dicebatur. Nam cum eo die Pontificem rem sacram angustiore ritu facturum fama vulgasset, incredibilis ad id spectaculum hominum multitudo confluxit. Advenisse dicebantur ex omni circum regione capitum plus sexaginta millia, quo ex numero praecipui civitatum fuere. In S. Stephani, quae aedes est urbis primaria, peracta res est. Sperabat eo die Caesar integrum sibi fore prodire domo ac sacrae celebritati interesse, idque porro cupiebat vehementer; at vitio oculorum ingravescente medici prohibuere. Rem tamen fieri quanta posset maxima magnificentia iussit. Ob id duos designavit S. R. I. Principes Schwarzenbergium et Averspergium qui Pontificis adstarent solio, et manus inter sacrificii solemnia abluturo aquam mappamque porrigerent. Ad aedem processit cum splendidissimo comitatu Pontifex. Curru vehebatur ipse seingi atque in primis nobili; e regione duo cardinales Migazzius et Bathianus considebant. Praeibat equo vecta crux pontificia. Longus ordo curruum ac totae nobilium excubitorum cohortes sequebantur. Ne quid exstaret incommodi, nulli privato permissum eo die curru ad id templum accedere, et dispositi per viam magno numero milites turbam arcebant. Intra aedem non admittebantur nisi qui certam ex aula syngrapham attulissent. Eo ut venit Pontifex, sacris sumptis usitato more vestibus, e solio sacram liturgiam peregit, quo fere ritu solent Romae Pontifices, adhibitis utris-

que ministris graecis et latinis, assistentibus ac vices varias fungentibus cardinalibus. Diaconi partes egit Garampus; subdiaconi Artaeius viennensis ecclesiae episcopus suffraganeus. Nulla ex usitatis caeremoniis est praetermissa. Adstabat in sacro amictu ingens corona praesulum mitratorum, quorum alii episcopi, alii abbates ordinum regularium erant. Spectabat ex uno meniano Archidux Maximilianus, ex aliis nobiliores quaeque urbis feminae. Post evangelium luculentam ac tempori aptam orationem Pontifex recitavit, quae deinde typis est edita. Plenum populo erat amplissimum templum, nullius tamen unquam audita vox, cunctis silentio haerentibus et sacrorum rituum insolitam maiestatem admirantibus. Rebus demum omnibus rite atque e dignitate confectis, e templo S. Stephani Pontifex eodem quo venerat ordine ad bellicum tabularium quod palatii instar habet devectus est. Atque hinc maiore indutus paludamento, quod pluviale vocant, et pontificia thiara capiti imposita, praeeuntibus supplicantium ritu episcopis ac cardinalibus, transiit in vicinam aedem quae a novem choris angelorum habet nomen. Podium ibi est amplum quod amplissimum despectat forum, et fuerat iam ante aulaeis ac peristromatis elegantissime convestitum. Ex eo Pontifex, perstrepentibus tormentis bellicis ac tota aere campano personante urbe, conceptis de more precibus solemnem benedictionem innumerabili populo impertiit. Innumerabilem videlicet multitudinem ad id contraxerat evulgatum paulo ante Pontificis iussu scriptum ac typis impressum quo significabatur, quicumque intra urbis aggeres eo die ad bombardae fragorem genua flexissent ea mente ut de pontificia benedictione participarent, eos toto sequenti octiduo, si rite conscientiam confessione purgassent

ac sacram dapem sumpsissent, plenariam malefactorum remissionem consecuturos.

Quamquam autem hac tam liberali in publicum largitione satis omnium pietati factum videri poterat, quamdiu Viennae substitit Pontifex nunquam defuere qui pontificiam benedictionem suppliciter poscerent. Ob eam maxime causam e remotioribus quoque Moraviae, Bohemiae, Austriae, Hungariaeque locis turmatim adventabant homines festis praesertim diebus, et interdum actuariis navibus instratus conspiciebatur Danubius quibus ceteri vehebantur, aliud volentes nihil quam pontificiam benedictionem. Quid quod caelo pluvio atque imbre madidi, tum ante palatium tum in aggeribus urbis immoti perstabant, donec e podio domestico, cuius longe in apertum prospectus patet, spectandum se praeberet Pontifex, ut consuetum bene precantis signum manu faceret, id quod aliquando septies intra diem facere cogebatur? Id porro fecit, cum Caesar veritus ne multitudini per momenta singula succrescenti, et iam non urbem modo ac suburbia sed exteriorem quoque planitiem implenti deesset annona, rogavit Pontificem ne differret solari miseros sed confestim apostolica benedictione dimitteret. Quam tantam gentis religionem ac fidem ne putes agrestium dumtaxat hominum fuisse propriam, par inter urbanos quosque studium ac certamen erat pontificii pedis exosculandi. Nulla fere non die Pontifex sacellum quod dixi aulicum S. Iosephi sacris operaturus descendebat. Horam captabant nobiles plerumque feminae exspectabantque e pergulis. Cum confectum sacrificium esset, tum eas omnes in sacrario Pontifex ad pedis osculum rogatus excipiebat. Semel cum operari constituisset in aede sacra familiae dominicanae, re cognita illuc in antecessum se con-

tulere magno numero matronae tum municipes tum peregre advectae, si forte uti spes erat Christi Vicarium pedis osculo venerari liceret. Quod ut accepit Pontifex convenire omnes iussit in amplam coenobii aulam et singulis pedem osculandum perquam benigne praebuit. Praeterea si quando domum aliquam frequentiorem inspectum venerat, quod ut infra dicam fecit haud semel, id unum in beneficii loco flagitabant incolae eius ut pedem osculari sibi permitteret, et ipse pii voti compotes omnes faciebat. Iam si viros nobiles aut religiosos aut etiam paulo honestiores, qui in palatium eadem pietate ducti ventitabant, singillatim commemorare velim, infinitus in dicendo sim. Eo adducta res est ut ipse certam sibi horam tum ante tum post prandium praescripserit, quam unice admittendis ad pedis osculum hominibus daret. Et numerati aliquando una hora ad quadringentos, alias plus quingentis. Quo enim perspectior eius benignitas, eo magis numerus adventantium crescebat. Verum haec summatim attigisse sit satis.

Ceterum ut ante dicere constitueram, fere quotidie Caesar et Pontifex se se invicem invisebant ac plures inter se horas amice ac familiariter colloquendo transigebant. Sed cum Caesar negotia ferme ad Caunitzium amandaret, quanquam ipse Pontifici obsequentissimus vellet videri ac forte esset, tamen semel conceptae defixaeque ministrorum sententiae ut postea compertum est valebant, pauca admodum Pontificis auctoritati et gratiae donabantur. Quo haec animo ferret Pius opinari fas est. Sed quamvis intime exulceratus, dolorem sinu premens perrexit usque ad extremum cum Caesare amice fidenterque agere, cunctis affabilem se praebere, nunquam animo aut vultu perturbatus apparuit. Nec interea

desiit cum erat otium ac per tempus licebat prodire domo atque urbis speciosiora invisum ire. Quocumque perrexisset anteire solebat Archidux Maximilianus, venientem opperiebatur, exscendenti dexteram porrigebat, demum ipse omnia curiosius perscrutanti commonstrabat. Sic Caesaris armamentarium, sic bibliothecam, sic equilia, s'c villam quam Belfontem vocant, sic fictilium officinam dignas Caesaris opes inspexit. Praecipua tamen sua voluptate vidit celebre orphanotrophium, in quo ad militiam pueri parentibus orbati educantur. Primo namque ingressu adolescentuli apparuere plus trecenti, vestitu militari spectandi, directis ordinibus stantes in armis, et venientem demissis fistulis salutavere. Tum conversionibus variis ex arte factis fistulisque ad nutum incensis, agilitatem ac militiam probavere. Postremo divisi in agmina ad tubarum clangorem tympanorumque sonitum densatis ordinibus in arcem, vallo fossa operibus egregie munitam, impetum dedere in eamque mira dexteritate evasere. Delectatus spectaculo Pontifex, tantam in tantula aetate belli scientiam prolixe laudavit. At totam eius instituti rationem edoctus, Parhamerum collegii moderatorem olim iesuitam in primis collaudavit, cuius labore ac solertia in ea domo, praeter disciplinam militarem, mores probi ac pietatis studia florerent. Pari deinde modo in collegium nobilium adolescentum quod theresianum vocant maiestatem intulit. Processerat huc quoque Archidux Maximilianus, eoque deducente totum perlustravit. Rebus demum omnibus exploratis probatisque, eam iuventutem ad osculum pedis admisit.

Mitto alia visu digna, cuiusmodi sunt principum Liechtestenii et Caunitzii horti cultissimi, et illius picturae insignes, huius insignes libri et academia cui a genio nomen, atque hu-

ius generis alia quae item Pontifex sibi videnda duxit; haec inquam missa facio ne si diligentius exsequi velim singula, dies me pariter ac verba deficiant. Unam modo rem tacitus praeterire non possum, quae una civitatem universam incredibili iucunditate perfudit. Dies erat dominica, sol nitidus, purumque ab omni prorsus nube caelum, cum Caesar post longam molestamque curationem, oculorum de quo dixi vitio persanato, prodire primum domo ac dare se in publicum statuit, non aliter tamen quam in consortio Pontificis maximi. Egressi ergo e palatio in eodem considentes curru duo summi orbis terrarum principes, Iosephus Caesar ac Pius Pontifex, inter infinitas populi acclamationes ad Angartenum primo (hoc appellant nomine viretum celebre in suburbio Leopolstadiensi positum, quo convenire ad otiandum per dies praesertim festos nobilitas solet), inde per longam et amoenam ambulationem arboribus hinc inde consitam, regium suburbanum petiere, quod sibi ipse nuper Iosephus extruxerat. Ea re momento urbem pervagata, tota fere civitas se in occursum eorum effudit, tanta frequentia, ut in reditu oppletas populo vias invenerint, vix equis locus ad gradum promovendum relinqueretur. Plane instar immortalitatis ea dies Viennae fuit. Sic duo sacerdotii et imperii capita, ut iungi corpore atque etiam amore potuere, mente quoque iudiciisque potuissent, nihilque inter utramque potestatem dissidii relictum esset.

Sed iam proxime aderat, cum Pontifex, infectis utcumque rebus, sibi discedendum constituerat. Erant tum Viennae cardinales, uti dicebam, quatuor numero, quorum duo, Bathianus ac de Firmian, nondum pileum cardinalitium solemni caeremonia acceperant. His ut Pontifex caritatem probaret

suam, simul ut viennensibus speciem romani moris praeberet, iam tum utrique addere hoc amplissimae dignitatis insigne et ornamentum statuit. Edicto igitur in diem aprilis mensis undevigesimum publico consistorio, eo die in amplissima palatii aula Migazzius et Hersanus ac post eos magno numero episcopi sacri collegii vicem supplentes consedere. Aderat spectator praeter frequentissimam procerum turbam ipse Caesar cum fratre Maximiliano. In eo consessu Pontifex pallio pontificali ac mitra spectandus apparuit conscenditque in solium. E solio accedentes hinc atque hinc episcopos ad colloquium excepit; donec medii inter Migazzium et Hersanum advenere alii duo cardinales, atque ad genua Pontificis accessere. Tum iis Pontifex solemnem pronuncians gravissimae sententiae formulam, rubrum maioris formae galerum capiti imposuit. Qui ut consurrexere, manum osculati Pontificis, alios cardinales fraterno complexu appetiere ac iuxta eos locum in subselliis coepere. Suam post haec Pontifex utrique ecclesiam in urbe ut loquimur titularem attribuit. Ac Iosepho quidem Bathiano, quam nominant a S. Barptolemaeo in insula tiberina, Leopoldo autem de Firmian, quae titulum gerit S. Petri in monte aureo. Ad extremum brevem ac elegantem orationem habuit, qua Caesaris erga se humanitatem experimento probatam, singularem in Deum devotionem, praestantiam ingenii summumque in rebus agendis studium prolixe laudavit (tacuit tamen debitam ecclesiae legibus obedientiam), simulque in laudes excurrit religionis ac pietatis quam in urbe Vienna atque inter populos sibi ex itinere occurrentes perspexerat, ac concionem dimisit. Migratum inde est in sacellum aulicum; atque hymnus ambrosianus cum concentu peractus. Haec mane. Eodem in noctem

proclinato die Pontifex ad eosdem cardinales suum unicuique galerum solemni more misit. Delectus ad id Comes Galeppius nobilis doctusque vir, qui de causis pontificiae legationis apud Garampum cognoscebat, tunc in id ipsum adlectus inter sacellarios pontificios. Galeros in lance argentea vexit unus e famulitio Pontificis medius inter duos, qui ardentes e cera faces manu gestabant: sequebatur curru vectus Galeppius, eosque haud sine exquisito verborum officio cardinalibus obtulit.

Appetebat interea dies mensis vigesima secunda, quam sibi diem Pontifex ad discedendum praestituerat. Et Iosephus Caesar, quanquam de pontificia potestate perperam quippe pravis imbutus opinionibus sentiebat, hunc tamen Pontificem propter candidos mores et naturae bonitatem et egregiam erga se voluntatem, vel ut parentem alterum amabat observabatque, maiorem in modum in eius credo verba iuraturus nisi ministri et consiliarii obstitissent. Postea vero quam eidem mense integro consueverat iuncta usu confirmataque amicitia, talem ac tantum hospitem invitissimus dimittebat. Multa iam ediderat nec dubitanda amoris erga eum sui et observantiae documenta. Praeter alia cudi iusserat maioris formae numisma, quod Pii VI effigiem egregie delineatam referret, huiusque plura ex auro argentoque exempla disperserat. At quiddam ad extremum sibi praestandum censuit notabilius, quod non tam Pontifici Maximo, quam huic nominatim Braschio familiaeque eius datum videretur. Pridie itaque quam abiret per Principem Colloredum, imperii, ut vocant, procancellarium, misit ad eum diploma, quo Ludovicum Honestium Braschium, Pii ex sorore nepotem, sacri romani imperii principem appellabat, cum hoc ut ad

omnes eiusdem gentis posteros ea dignitas et appellatio transiret. Grato accepit animo donum Pontifex pro eoque gratias agi debitas iussit munifico Caesari. At post paullo progressus ipse ad Caesarem renovataque coram gratiarum actione, donum aperte recusavit et causas recusandi protulit adeo probabiles, ut rem aequi bonique fecerit sagax princeps ut suum sibi reddi diploma sine querela et offensione permiserit.

Sequutae sunt splendidae largitiones, tum Caesaris erga familiares Pontificis tum splendidiores Pontificis erga familiares Caesaris; utque diversi ordine graduque erant, uniuscuiusque habita ratio est. Postridie vero, quae dies erat profectioni dicta ac pervulgata, quantam sui Pontifex opinionem, quantum desiderium Viennae reliquerit evidenter apparuit. Vix urbe tota fuit qui non discedentem videre iterum atque iterum de genu venerari sibique ab eo supremum benedici voluerit. Concursum multis partibus auxit Caesar, quem fama erat Pontifici se comitem adiuncturum eumque ad aliquot passuum millia assectaturum. Mane igitur primo, cum iam in exteriora palatii cubicula proceres prope omnes urbis et aulici administri faustis ominibus prosequuturi Pontificem convenissent et populo omnes exundarent viae, Pontifex intra Caesaris conclavia quasi supremum peracturus urbanitatis officium se intulit. At inde ambo coniunctim cum Archiduce Maximiliano mox prodiere, perque ea quae dixi cubicula inter infinita salutantium obsequia gradientes in cavaedium descendere. Parati erant seiuges, stabat in equis consueta excubitorum custodia. Proprio curru Pontificem excepit Caesar, ac proxime subsequente quo Archidux quibus deinde familia Pontificis vehebatur, succlamante ac genua flectente hinc atque inde populo, citatis equis itum est ad

fanum Onariae, quam vocant Brunniam, fere sexto ab urbe lapide. Divinae Matris imago ibi est antiquo cultu et assidua populi devotione celebris, fratribus augustinianae excalceata familiae in curam tradita. Placuit hoc loco exscendere ac precum nonnihil fundere. Vbi vero satis pietati factum, e templo egressi Caesar et Pontifex, dato sibi invicem amplexu ac reddito, supremum sibi valedixere. At quanta amoris mutui significatione! quanto honore verborum! quam intimo intuentium motu! Caesar sibi supremum benedici postulans in genua procumbebat. Non tulit Pontifex, sed inter brachia sustentatum denuo suavissime complexus est. Maximiliano libavit osculum, atque obortis lacrymis suum continuo currum conscendit. Conscendentem adiuvit manu Caesar, nec inde tamen prius abscessit quam equi gradum promovissent. Eo deinde ipso loco Caesar lapidem poni iussit cum inscriptione quae rei memoriam posteritati proderet.

Finis Libri Secundi.

LIBER TERTIVS

Digressus Vienna Pius Pontifex die uti dicebam aprilis mensis vigesima secunda, eadem die Medalcium venit atque in insigni ordinis benedictini coenobio hospitium cepit. Huc praecesserat ut ad locum suae diaeceseos archiepiscopus viennensis Migazzius cardinalis, et omnium primus accedenti venerabundus occurrit. Mane postero cum coenobiarcha ac toto monachorum agmine descensum est in magnificum illud coenobii templum, ubi divinam rem praesente Pontifice Migazzius fecit. Et continuo Pontifex relicto Madelcio, Ensiam versus iter direxit. Euntem sequebatur ut ante Comes Cobenzelius iussus a Caesare locis omnibus ad usque austriacae ditionis confinia Pontifici subservire; sequebatur etiam Garampus, quocumque viennensis legationis fines et iura pertingerent: quamquam postea Bononiam usque Pontificis permissu pervenit. Nobiles excubitores Caesaris eodem atque antea numero aut sequebantur aut praeibant. Ensiae paratum Pontifici hospitium fuerat ad S. Floriani, quod canonicorum lateranensium celebre coenobium est, ibi-

que praestolantem ad fores reperit cardinalem de Firmian episcopum passaviensem (huc enim usque eius ecclesiae iurisdictio protenditur) atque ibi noctem exegit. Postridie vero, cum esset transiturus per Lencium, urbem superioris Austriae facile principem, illuc iterum ut ad urbem suae dioecesi subiunctam praecurrit Firmian eo consilio, Pontificem Maximum honore debito ut exciperet ipse coram et ab universa civitate, quae culta in primis ac nobilis est, excipiendum curaret. Et vero nihil neque ad pietatem neque ad magnificentiam defuit. Vrbem laeto aeris campani sonitu ac perpetuo bombardarum remugitu salutatus intravit. Delatus recta ad palatium publicum civitatis, occurrentem sibi cardinalem vidit cum praetore, clero atque universa nobilitate amictu splendidiore visenda. Amplum pro palatio forum dispositi in ordines milites sepiebant, populus confertissimus in exspectationem pontificiae benedictionis implebat. In id ipsum palatii podio praetentum conopoeum splendidissime cernebatur. Rogatus ergo Pontifex ne populum lenciensem pio voto fraudatum vellet, ultro ad podium ascendit atque inde conceptis usitato more verbis populo benedixit. Nec deinde abnuit parato in solio parumper considere, et partem nobilitatis maximam id enixe cupientem ad osculum pedis admittere. Quo facto lencienses mire sibi devinctos et obligatos reliquit, atque Aurinianum, ubi paratum illi erat in eam noctem hospitium, iter intendit. Medium occurrebat Velsium haud contemnendum et populo frequens oppidum. Dum mutantur equi, ad Pontificem fidenter accessit loci pastor rogavitque suppliciter ne gravaretur gregi quoque suo benedicere. Se vero facturum respondit qua erat benignitate Pius, modo aptus monstraretur locus. Adductus proinde est

ad fenestram nescio quam, unde patentem in aream despectus erat, intereaque parochus ad multitudinem sermone patrio vehementissime peroravit, illud credo suadens ut caeleste beneficium, quo decet sensu pietatis acciperent. Et Aurinianum per hacc (Riedum appellat vulgus) sub occasum solis est ventum.

Aderant ibi praeter alios duo spectabiles dignitate viri, quos in occursum Pontificis miserat septemvir trevirensis idemque episcopus augustanus Clemens Saxoniae Princeps, ferebantque ab eo litteras quibus sanctissimum Patrem etiam atque etiam rogabat, siquidem per Bavariam referre se in Italiam constituisset, ne recusaret Augustam Vindelicorum divertere ibique paululum immorari: id enim sibi populoque augustano periucundum, forte etiam e re usuque catholici nominis fore. Pergratae acciderunt Pio litterae. Hunc enim prae aliis amabat religiosissimum ecclesiae principem ac magni faciebat cum propter alia eius merita, tum praecipue propter Iustini Febronii conversionem cuius alibi mentionem fecimus. Sequenti interea die, quae dies erat mensis vigesima quinta, in ditionem bavaricam iter flexit. Utque ad Oenum venit, qui amnis Bavariam ab Austria disterminat, Cobenzelio pro navata sibi ad eum diem opera gratias ingentes egit eique litteras ad Caesarem perferendas dedit. In ipso autem Bavariae limite binos obvios habuit ab Electore missos intimae admissionis cubicularios quibus erat iniunctum, ut eius nomine primum Pontifici salutationis et obsequii officium praestarent eumque deinceps Monachium usque deducerent. Nec ita multo post occurrit septemviralis domus praefectus cum ala equitum loricatorum, ac renovata salutatione iussisque equitibus viam praeire, pontificio comitatui se ad-

iunxit. Sic eo die ventum est Altoettinghium ubi paratum Pontifici erat hospitium. Placuit adire primum sacram divinae Matris aedem, quae cum praecipuam in eo oppido venerationem obtinet tum ob gazae copiam et pretiosa donaria visenda est. Cum vero e curru parat exscendere, occurrentes sibi videt archiepiscopum salisborgensem Colloredum et Birckenfeldii Principem Electoris consanguineum. Aderant et viri nobiles alii haud parvo numero quos Elector ipse ad praestandum Christi Vicario obsequium praemiserat. Pius brevi peracta ad aram Virginis prece in paratam sibi domum introiit Birckenfeldium et Colloredum separatim in colloquium admisit, et alios perquam benigne comiterque affatus, reficiendis cibo somnoque viribus reliquum tempus dedit.

Successit dies mensis sexta supra vigesimam, Pio si qua alia memorabilis ac gloriosa, qua videlicet viam emensus perpetuis populorum acclamationibus plausibusque consignatam, denique Monachium septemviralis regni sedem attigit. Nam cum per se pia ac religiosa bavarica gens est, tum constabat velle Principem ut summo religionis Antistiti omne genus obsequii exhiberetur. Itaque quacumque iter fuit, e proximis remotisque pagis ac oppidis aera campana ad significationem laetitiae pulsabantur. Tum ritu suplicantium adventabant pias preces concinentes hominum turmae omnis aetatis ac sexus; uterque item clerus secularis ac regularis cruces et vexilla praeferentes subibant atque in genua prosternebantur, vix ut lacrymas Pius prae mentis dulcedine contineret. Venerat interea ad oppidum cui nomen Haggio et adhuc quinque supererant ad Monachium leucae, cum repente stetit quod antecurrebat equitum agmen; et in conspectum cur-

rus pontificii ipse Dux Bavariae et Elector Palatinus Carolus Theodorus venit. Eo aspectu desiliit confestim Pius et in complexum optatissimi Principis ruit. Multa inde inter se data salute ac reddita, ambo in aediculam processere B. Virgini sacram, venerabile Sacramentum adoraturi quod erat publicae venerationi propositum. Et inventus in vestibulo episcopus frisingensis, qni iam ante hnc Pontificem excepturus advenerat. Peracta prece in currum Electoris proprium, ipsius invitatn conscendit Pontifex, quodque reliquum viae Monachium usque fuit coniunctim confecere. Iam quantum celebritatis hic viae tractus habnerit dici vix potest. Quo enim magis procedebatnr, eo plus hominum in genua procidentium ac benedictionem succlamantium occurrebat. Et quamvis largus decideret caelo imber, locum deserebat nemo. Urbem intravere vergente in occasum sole. Ab ingressu ad palatinm inter duplices militum ordines lituis tympanisqne perstrepentibus itnm est, et interea omnia urbis aera campana ac tormenta bellica adventum Pontificis nunciabant. In aditu palatii tota inventa nobilitas; id enim Elector honoris causa iusserat. Pontifex e vestigio ad amplum palatii podium adducitur, quod in sacellum aulicum prospiciebat. Ibi hymnus ambrosianus pro felici Pontificis adventu cum concentu musico a simphoniacis decantatur, utque inter luminum copiam prostabat divina Hostia, per eam sacerdos solemne signum beneprecantis fecit. Pontificem post haec in destinata cubicula Elector ipse perdncit, ac paululnm ibi commoratus abscedit.

Quinque omnino dies Monachii Pius constitit. Nulla abiit otiosa atque ab honesta piaque occnpatione vacua. Prima, quae mensis erat vigesima septima, meris salutationum offi-

ciis data. Prior, captato tempore cum divino sacrificio adstiterat Pontifex, ad eum salutandum Elector Palatinus accessit. Nec ita multo post affuit defuncti Electoris coniux vidua, cuius nimirum morte hic Carolus Theodorus ad Palatinatum debitum sibi hereditario iure Bavariam adiunxerat. Cumque interea Monachium supervenisset, atque in eodem electorali palatio hospitaretur Clemens, quem supra nominavi, Saxoniae Princeps Elector Trevirensis, is quoque adire Pontificem festinavit, quem quam amanter exceperit Pius, vix ullis consequi verbis queam. Nec vicissim ipse longam sibi intulit moram, ne singulis par officium redderet, quos proinde eodem die in sua quemque diaeta convenit. Quod superfuit diei, admittendis ad colloquium proceribus et aulae purpuratis impendit. Sequebatur dies dominica conveneratque ut ea die Pontifex prodiret in publicum et solemni benedictione populum impertiret. Prius tamen per viam secretiorem, utroque assectante septemviro Palatino ac Trevirensi, in viciuam aedem theatinorum transiit, ibique rem sacram privatim fecit. Iusta deinde hora publice in palatium civitatis cum hoc apparatu venit. Vehebatur ipse curru splendidissimo, quem octo trahebant equi, in eodemque ex parte adversa duo, quos dixi, septemviri considebant. Viam praeibat equitum loricatorum centuria. Sequebatur famulitium frequens' atque optime phaleratum. Tum suis se ferentes pedibus aulici omnes cubicularii atque urbana nobilitas universa. Proxime ante currum sublimis in equo praeferebatur crux pontificia; ad latera maiores aulae praefecti, ephebi, stipatores corporis ac perlongi duo helvetiorum ordines incedebant. Nonnulli sequebantur cum pontificio comitatu currus seiuges. Pompam cohors equitum levis armaturae claudebat. Ut ventum ad pala-

tium, superiorem in contignationem ascendit Pontifex et sacras induit vestes. Utque extructum in medio fuerat amplum e materia pulpitum, idque peristromatis elegantissime convestitum ac nobili conopeo desuper coopertum erat, huc processit sacro paludamento ac pontificali thiara spectandus, atque hinc ad populum prope infinitum, qui forum, vias, vicos, anfractus omnes et angiportos, ipsa adeo tectorum fastigia complebat, conceptis rite verbis, tota interim aeris campani pulsibus ac tormentorum explosionibus personante urbe, solemne signum bene precantis edidit: quae res civitatem universam incredibili gaudio perfudit.

Secutis diebus celebriora quaedam urbis templa Pontifex invisum iit. Quocunque iisset, currum antecedebat crux pontificia et duplex assectabatur custodia, pedes una helvetiorum, altera levis armaturae equitum; ubi vero pervenerat, duo, quos dixi, septemviri ad fores praesto erant. Semel cum venisset ad S. Mariae, ubi maximum est sacerdotium et collegium, non excepere solum venientem duo religiosissimi Principes, sed sacrum facienti adstitere. Et quia illuc interea ingens nobilium feminarum multitudo convenerat, eas omnes Pontifex rogatu Palatini ad osculum pedis admisit. Alias cum rediret S. Georgii dies festa, cuius sancti titulum fert religiosus ac militaris ordo praenobilis in Bavaria, et Dux Elector, utpote ordinis magnus magister, eius diei solemnia in sacello aulico celebrare consuesset, hoc anno, ut Pontifici gratificaretur, tribus praeterea e nobilitate viris, in quibus erat Marchio Angedellus patria bononiensis, ordinis insignia praebere solemni caeremonia constituit. Spectavit id omne Pontifex e sacelli podio reticulato, adstante sibi quem supra nominavi Principe Bienkerfeldio, remque habuit apprime gratam. Quo

6

vero gratior fieret, cum inde in sua cubicula se retulisset, affuit paulo post in proprio suae dignitatis amictu Dux Elector, et totam equitum religiosorum turbam una secum ad venerandum Christi Vicarium, omnium eiusmodi ordinum supremum praesidem ac magistrum, adduxit. Talem atque adeo Pontificis reverentem cum se palam ac tot indiciis praeferret Princeps, cum eo quodammodo tota fere Bavaria certabat. Ex omni circum regione Monachium assidue ventitabant magnis agminibus homines, non alio consilio, quam ut Pontificem Maximum videre ac venerari liceret eiusque si quam possent benedictionem referrent. Non imber, non nix decidua, non viarum difficultas pia peregrinantium vota remorabatur. Quae causa fuit, ut certas sibi quotidie horas praefinierit, quibus aut nobiliores ad osculum pedis exciperet, aut haerenti ad ima palatii populo e podio se videndum praeberet ac pontificiam benedictionem elargiretur. Hisce rebus mirifice laetabatur optimus Princeps, utque iam Pontifici non religione tantum sed propter candidos eius mores et naturae suavitatem amore etiam atque animi propensione devinctus, talem tam cito a se discedere hospitem aegre ferebat. Illud saltem evicit, ut priusquam abiret, dono sibi haberet, velut certum suae erga eum voluntatis pignus, calicem sacrificalem aureum, quem per aulae praesulem deferri ad eum iussit. Nihil in eo genere pretiosius fingi potest. Praeter materiam tam exquisito opificio est elaboratus, ut sola caelatura haud minus quindecim millibus librarum gallicarum stetisse dicatur. Eo nunc Pius in solemnioribus anni sacrificiis utitur.

Pridie eius diei quem sibi ad discedendum praestituerat, in interiore aulae sacello, haud amplo illo quidem, sed

ornatissimo ditissimoque sacrum Pontifex fecit, cui duo Electores Palatinus ac Trevirensis interfuere. Hos deinde singulos in suis ipsorum cubiculis salutatum iit, atque idem urbanitatis officium implevit cum electrice vidua. Nec interim adventantibus sive nobilibus sive ecclesiasticis viris aures praebere ac pedem osculandum porrigere destitit. Postridie vero, quae dies erat mensis maii secunda, rursum in viam se dedit Augustam versus. Idem in discessu motus civitatis apparuit atque in eius adventu fuerat. Idem aeris campani ac tormentorum fragor, eodem modo militibus obseptae urbis viae. Discedenti comitem se adiunxit in eodem curru Elector Carolus Theodorus, cum eoque ad locum usque ubi mutandi erant equi (Schevanseno nomen est loco) pervenit. Secuta ibi haud sine mutuo doloris sensu ac pleni officii verbis duorum Principum separatio est, nec ego dubito quin in eo rerum articulo Elector optimus amico Pontifici promiserit, quod de suo in urbem adventu post annum est exsecutus. Sane dum haec scribimus, Romae Carolus Theodorus degit, ac forte nudius tertius, B. Petri festo die, Pium Pontificem augustiore ritu sacris operantem atque eo quem dixi calice utentem vidit. Ut ad rem redeam, divulsus ab Electore Pontifex, sequente tamen ut ante cum binis intimae admissionis cubiculariis domus electoralis praefecto, nihilque admodum imminuto excubiarum praeeuntium seque per intervalla commutantium numero, porro ire perrexit, dum fines bavaricae ditionis attigit. Ecce autem hic nova nec minus spectanda scenae commutatio. Aderat cum magnifico curruum equitumque apparatu Elector ipse Trevirensis Clemens Saxoniae Princeps qui anteverterat de industria, ut Augustam, suum videlicet in episcopatum, Pastorem omnium pastorum quo decet ho-

nore introduceret. Pius ergo cum magna gratiarum actione dimissis quos Palatinus ad subsequendum miserat, Trevirensem arcte complexus in octoiugem splendidumque eius currum ita rogatus insiliit. In eodem locum ex adversa parte cepit Elector. Reliquo deinde comitatu in currus electorales distributo, praeeunte in equis excubiarum agmine Augustam continuatum est iter. Nusquam alibi tanta ac tam decora Pontifici obviam itio receptioque facta. Affuit enim ad portas urbis totus piae supplicationis ritu clerus tum secularis tum regularis, cum suis uterque insignibus, atque hinc ad aedem usque cathedralem Pontificem subeuntem ordinate praecessit. Templum introeunte Pontifice, illud ex edito carmen concinuere musici, *Ecce sacerdos magnus*. Eo autem ante aram maximam progresso, hymnum ambrosianum adhibitis omne genus simphoniacis decantavere. Quo demum absoluto ad ipsam aram processit Pontifex, atque inde clero ac populo benedixit. E templo gradum fecit in aedes episcopales, quod paratum illi erat hospitium, ibique eodem vespere catholicum urbis magistratum excepit. Huius princeps orationem sat elegantem habuit ad Pontificem lingua latina. Pontifex eadem lingua et pari copia in vestigio respondit.

Tres ipsos dies Augustae Pontifex posuit. Quo tempore quae acta sunt adeo sunt visa memorabilia ut ex iis proprius confectus sit commentarius, quem itidem notus Simon Duser e germanica lingua in italicam vertit. Nos notabiliora carptim more nostro attingemus. Prima die, quae maii mensis erat tertia, sanctissimae Crucis inventioni sacra, visum Pontifici ad aedem cathedralem redire ibique sacrificium peragere. Illuc ergo cum hoc apparatu processit. Turma equitum praeibat ad custodiam. Curru vehebatur ipse octoiugi ac

splendidissimo, in eodemque e regione El ctor episcopus considebat. Crux equo subvecta praeferebatur. Omnes Electoris domus praefecti atque aulici cubicularii pedites incedebant, comitatus pontificius plures tributus in seiuges sequebatur, agmen alia equitum turma claudebat. Sic illuc, sic ad alia deinde urbis loca itum est. Peracto ad aram templi maximam sacrificio cui Elector ipse adstitit, eodem ordine et apparatu transiit ad aedem familiae dominicanae, atque hinc Electoris hortatu ad palatium publicum civitatis, quo sive aedificii amplitudinem sive formam atque o namenta species nihil magnificentius venit. Ibi summo cum honore ab utriusque religionis magistratu in amplissima aula exceptus cultusque est. Cumque inde in publicam bibliothecam librorum non minus copia quam delectu visendam transgrederetur, venientem excepit custos diserta oratione latina quam de genu recitavit, eique postmodum aliquot venerandae rubiginis codices antiquiores osteudit. Se demum post hanc circuitionem receperat in aedes episcopales, cum affuere ab utroque magistratu tum catholico tum lutherano legati, eorumque unus publico civitatis nomine felicem faustumque eius adventum est gratulatus. Nec ita multo post supervenere magno cum apparatu lautia, quae Pontifici magistratus prisco more decreverat. Ea erant huiusmodi. Octo magna piscium fercula linteis cooperta, quorum singula duo famuli tela bicolore ad eamdem formam induti gestabant. Tum currus, quem sex trahebant equi, in eoque quatuor vini dolia stemmate pontificio depicta. Postremo alii duo currus, itidem seiuges onusti saccis avenae eodem modo depictis. Id munus praeferri Imperatoribus solitum est, si forte Augustam venerint. Munus

non aspexit modo sed pergrato accepit animo Pius, atque in domum hospitalem pauperum transmitti iussit.

Sequenti die placuit adire templum S. Udalrici episcopi augustani, quod insigni coenobio adiacet familiae benedictionae. Illuc itaque adiuncto sibi comite uti prius episcopo Electore, processit ibique rem divinam fecit. Dein in subterranea descendit ubi Sancti corpus asservatur, idque arcae inclusum argenteae atque in altari expositum reperit. Solet enim in gratiam magnorum principum extrahi e suo cavo, atque huc ut in locum patentiorem transferri. Vtque ex parte anteriore pellucidae crystalli lamina claudebatur arca, per eam iacens corpus per otium accurateque perspexit. Brevi demum precatione facta, ascendit in coenobium ibique singulos coenobitas atque e nobilitate quamplurimos, qui illuc ea maxime causa convenerant, ad osculum pedis admisit.

At enim magnam in primis celebritatem habuit dies dominica, ab adventu Pontificis tertia, et quidem tantam, ut nihil simile visum unquam Augustae auditumque sit. Nam praeterquamquod in eam forte diem incidebat festum S. Pii V, cuius Pius VI non successor tantum dignitatis et nominis sed sanctitatis etiam venerator et cultor eximius erat, tum hoc medio tempore eam in urbem episcopi constantiensis, salisburgensis, eicsladiensis, nec non abbas campidonensis, et Dux Witembergii, aliique e Germania principes venerant, qui celebritatem diei praesentia honestavere ac magnopere in omnes partes auxere. Primo igitur mane Pontifex in sacello domestico privatim missae sacrificium confecit; stata deinde hora ad aedem cathedralem quo solebat comitatu se contulit sacrificio adstiturus, quod Elector episcopus ritu augustiore celebravit. Exceptus ad templi fores

ab universo ipsius ecclesiae clero perductusque ad paratum in id cubiculum pontificales induit vestes, atque hinc praelata cruce toto sequente clero, sub amplo ac magnifico conopeo cuius hastilia octo sustentabant canonici, processit ad aram maximam ibique in eminenti solio thiara pontificia spectandus consedit. Sacri collegii vicem supplevere partim assistentes episcopi partim dispositi per subsellia canonici, sacrificii solemnia ritusque omnes ac caeremonias liturgicas Elector ita prorsus implevit ut Romae cardinales solent praesente Pontifice. His autem cum magna spectantium admiratione confectis, usitato resumpto amictu, Pontifex domum se retulit. Neque hic tamen finis insolitae celebritatis. Ad aedes episcopales, qua parte in forum amplissimum prospectus est, extructum fuerat Electoris episcopi iussu pegma sublime et quanta maxima poterat ornatum magnificentia. Huc Pontifex sacris denuo sumptis vestibus impositaque capiti pontificia thiara, adstantibus quotquot Augustae erant episcopis, prodiit in conspectum populi, atque hinc conceptis rite verbis infinitae multitudini benedixit, plenariam ut loquimur indulgentiam concedens iis qui intra certum dierum numerum de sacra mensa pura conscientia participassent, cuius concessionis edictum elector ipse episcopus pronunciavit. Mira plane res et in omne tempus posterum recolenda, ut ubi ante biscentum ac quinquaginta annos funesta illa confessio augustana in gratiam sectae lutheranae fuit promulgata, ibi nunc tale catholicae fidei ac pietatis testimonium tanta cum celebritate ederetur.

His ita peractis Augustae rebus, sequenti luce Pius discessit Abudiacum versus, ubi in celebri benedictinorum coenobio pernoctare decreverat. Neque eum tamen toto hoc

itinere Elector Trevirensis cum sua equitum custodia deseruit. Eodem praecesserat quem supra nominavi abbas, et princeps campidonensis ob id unice viam unius diei remensus, Pontificem ut exciperet cum honore inter suos. Itaque satis commode ne dicam laute ibi noctem exegit Pontifex. Subsequenti vero die Electorem amantissimum qui divelli vix poterat suavissime complexus, cum suo comitatu Oenipontem iter intendit. At vix tirolensis provinciae fines ingresso obviam prodiit comes Gundacarus de Strembergio, iussus a Caesare sequi tota austriaca ditione Pontificem eique rebus omnibus praesto esse. Ei quin etiam litteras ipsius Caesaris in manus tradidit. Gratum habuit Pius officium, continuato tamen itinere Oenipontem nisi primis se intendentibus tenebris non attigit. Quare inventi extra urbem magno numero famuli aulici cum accensis facibus qui viam reliquam collustravere, eumque ad palatium recta deduxere. Quod vero magis, inventa in ipso palatii aditu provinciae Gubernatrix Elisabetha austriaca Caesaris soror, quae prima exscendenti occurrit venerabunda cum frequentissimo nobilium feminarum agmine ac tota urbis nobilitate, eumque e vestigio aulicum in sacellum introduxit. Ibi hymnum ambrosianum cantores aulici cum symphonia decantavere, suo circumsistentibus loco in grandi consimilique amictu feminis quas canonichissas vocant, atque hinc ad parata Pontificis in usum cubicula migratum est, ubi paulum cum constitisset Elisabetha suam in diaetam se recepit. Vicissim Pontifex haud multo post Elisabetham convenire voluit, cum eaque peculiare colloquium habuit. Quo expleto nobiles quas dixi feminas et partem nobilitatis non exiguam rogatu eius ad osculum pedis excepit. Postridie in eo cum esset ut abiret, sacrificium

suo more fieri praesente se iussit. Abire tamen non sustinuit nisi prius regiam virginem, cuius egregiam erga se voluntatem perspexerat, supremo verborum officio salutasset. Sed nec inhibere potuit ne illa abeuntem ad currum usque assectaretur, eoque religionem simul suam et singularem erga Christi Vicarium reverentiam testatam faceret. Cui proinde Pontifex ex ipso curru cum praecipuo paternae caritatis sensu apostolicam benedictionem impertiit.

Hac die, quae fuit mensis octava, Brixiuum claram comitatus tiroleusis urbem itum est. Haud multum processerat Oenipoute, cum ad Caevam pila ingens apparuit solitaria, recens instructa, in eaque summa legebatur incisa marmori inscriptio, quae uncialibus literis adventum Pii VI Pontificis, eique praebitum ab Elisabetha hospitium praetereuntibus nunciabat. Monumentum oenipontanae pietatis insigne, quod ad seram usque posteritatem manebit. Cum inde Pontifex ad oppidum, cui Murreio nomen, appropinquaret, oblatus illi est supplex libellus parochi nomine ac chirographo obsignatus, in quo erat, coemptos esse ab uno quodam popularium panes mille septingentos octoginta septem inter pauperes dividendos pro felici itinere Summi Pontificis. Eos publice expositos obtutu dignaretur Sanctissimus Pater, iisdemque pro insita benignitate benedicere nec recusaret. Id murreiensium commune suppliciter flagitare. Tanta iis gentibus fides ac pontificii nominis existimatio! Et vero, ut ad oppidum ventum est, amplum panis acervum Pontifex vidit in aperta locatum arca, eique magnam hominum vim circum fusam atque in genua provolutam. Iussis proinde consistere parumper equis, illuc obtutus defixit, elataque bis terque dextera solemne signum benedictionis fecit. Brixinum deinceps

continuato cursu contendit exscenditque ad aedes episcopi. Is erat Iosephus Spaur clarus haud minus genere quam virtute vir, qui iam ante Viennam hac una causa venerat, ut Pontifici in Italiam revertenti et suam per urbem transituro offerret hospitium. Quanto itaque cum obsequio et quanto cum apparatu ad se advectum exceperit credi vix potest. Aderat ad fores episcopus cum eoque totus ordo sacerdotalis ac tota urbis nobilitas. Continuo hymnus ambrosianus publico in sacello cum cantu decurritur. Inde parata in cubicula Pontifex introducitur, qui episcopum primo ad familiare colloquium, mox viros nobiles sacerdotesque ad osculum pedis admisit. Tota ea nocte tum ante domum episcopalem tum ante aedem cathedralem innumerae e cera faces exarsere. Postridie vero dies cum esset Christo in caelum ascendenti sacra et Pius ante discessum missae sacrificium peragere constituisset in aede cathedrali, principio tota aedis facies variis decorata picturis apparuit, quas inter eminentiore loco stemma pontificium conspiciebatur. Illuc deinde processit Pontifex praelata cruce ac toto piae supplicationis ritu praeeunte clero. Et quia pedes incedebat, omnes tabulato instratae fuerant viae. Postremo sacrificium peregit ad aram maximam ipso adsistente episcopo, eoque absoluto transiit amplum in suggestum, quod pro templi foribus extrui ornarique idem antistes iusserat, atque hinc solemnem benedictionis formulam ad populum frequentissimum pronunciavit. His autem ita peractis rebus, eodem quo venerat ordine ac comitatu rediit domum. Nec ita multo post, actis episcopo gratiis et obiter audito cardinali ab Hersan, qui tum forte ex ea parte Romam magnis itineribus revertebatur, Bocenum

celebre einsdem provinciae oppidum (Bolzanum appellat vulgus) discessit.

Bocenum appulit multa adhuc die, quae causa fuit ut ad templum loci primarium primo loco vellet escendere ac paullulum in pia precatione consistere. Ac traductus inde ad domum eius destinatam hospitio, stantem ad fores habitu venerantis reperit Petrum Vigilium de Thunn episcopum tridentinum, qui cum sciret postridie Pontificem Tridento transiturum, occupaverat huc usque accedere ut suum illi praestaret obsequium. Hominem excepit humanissime Pontifex, ac familiari secum sermone detinuit. Nec effusum circa populum repetita benedictione fraudavit. At sequenti die Boceno discedens, vicem episcopo tridentino reddidit pro officio. Quanquam enim Roboretum eo die ut ad itineris metam tendebat, Tridenti tamen ad episcopi domum divertit, in eaque tamdiu immorari sustinuit dum totum nobilitatis corpus itemque maximam cleri partem atque e feminis nobilioribus bene multas ad pedis osculum perquam clementer exciperet. Placuit etiam cathedrale urbis templum invisere atque aedem S. Mariae Maioris, quam eo praesertim nomine spectandam censuit quod in ea patres concilii tridentini suos conventus habuere. Ceterum eodem in vesperam vergente die Roboretum attigit. Urbs ea est haud ampla circuitu ac populo frequens, opportuna situ et ob Rhaetorum Venetorumque commercia locuples atque opulenta. Quae ut cognovit de adventu Pontificis nihil sibi omittendum statuit quo suam ea de re laetitiam et gratulationem testaretur. Magnus itaque occursus venienti est factus nobilium tum popularium tum exterorum, qui Pontificis visendi causa unde unde advenerant, et sacerdotum praecipue utriusque cleri. Quo

ex numero multis pedem eius exosculari cupientibus, ab ipso statim adventu Pontifex obsecundandum censuit. Porro hospitium reperit ad omnem magnificentiam instructum, et vix fuit ea nocte qui non suam domum luminibus collustratam ad laetitiae significationem voluerit. Ut vero diluxit, quanti civitas faceret, habuisse inter se hospitem nocte una Pontificem, in aede archipraesbiterali S. Marci evidentius conspici potuit. Nam cum ad eam se ferre ibique sacro interesse Pontifex decrevisset, conspecta in templi fronte imago Pii VI egregie depicta, velis sericis artificiose fluentibus circumsepta, et infra grandi in tabula inscriptio elegans quae rem memoria prodebat. Totum item interne templum sumptuosissime ornatum erat. In ipso autem vestibulo inventum omne sacerdotum collegium nixum genibus, et primores exceptum sub umbella Pontificem ad genuflexorium adduxere. Quibus ille honoris et benevolentiae significationibus devinctus, populo ita de se merito ex animo benedicit, ac deinceps Veronam versus iter facere instituit.

Dies erat maii mensis undecima, neque dum multum e Roboreto distabat, cum ad confinia austriaci dominii pervenit. Ibi paullum moratus, Strembergio qui huc usque fuerat subsecutus, pro navata sibi diligenter opera gratias ingentes egit et litteras ad Caesarem praeferendas dedit. Venetorum inde fines ingressus, obvios habuit duos, quos vocant S. Marci procurator s, nobiles in primis ac dignitate spectandos viros eosdem videlicet, de quibus antea diximus Maninium ac Contarenum, iussos iterum a senatu sequi Pontificem, eique rebus omnibus subservire donec iterum exisset e reipubblicae finibus. Hi electam equitum manum ad custodiam Pontificis adducebant, qua via praeeunte, ipsi se in comitatum coniece-

re ac subsequi coepere, donec ea quidem die Veronam perventum est. Iam difficile explicatu sit quanta cum celebritate Pontifex eam urbem intraverit. Tota prope se extra muros in occursum eius effuderat amplissima civitas, nec acclamandi beneque precandi erat modus. Devectus recta ad coenobium familiae dominicanae, ubi hospitium sibi delegerat, dum parat e curru escendere, occurrentes ritu venerantium videt primo urbis praetorem Savorgnanum, magna nobilium manu stipatum, tum Ranuzium sedis apostolicae apud Venetos nuntium, postremo, quod minime omnium rebatur Abundium Rezzonicum Clementis XIII fratris filium, senatorem urbis Romae. His autem excipiendis audiendisque, ut sua se recepit in cubicula, quod reliquum eius diei fuit imsumpsit, Rezzonici praesertim delectatus alloquio, quem deinceps viae comitem sectatoremque Bononiam usque habuit. Duas alioqui noctes Veronae Pius exegit. Et cum alia in eius honorem acta sunt, memoratu digna, tum illud in primis, quod ingruentibus tenebris totus ille tractus aedificiorum, quae secundam oram Athesis fluvii longissime excurrunt e regione coenobii incensis funalibus illustrabatur, quae aquae praeterlabentis repercussa lumina multiplicata spectaculum plane insolens ac visu mirabile, praesertim è coenobio, de quo dicebam, intuentibus exhibebant.

Multa Veronae sunt visu digna, ipsum urbis situm et quam dixi fluvii interfluentis oram sane pulcherrimam, notabiliora Pontifex unius diei dimidio invisum iit ac cupide perlustravit. Principio tamen, dies cum esset dominica ad aedem cathedralem sacrificii faciendi causa deferri voluit. Delatus porro est cum insigni pompa in curru octoiugi, praeeunte equitum agmine, equo subvecta cruce pontificia, se-

quentibusque longo ordine seiugibus, quibus duo, quos dixi procuratores S. Marci et urbis praetor Lavorgnanus, et Rezzonicus praeter proprium Pontificis comitatum vehebantur. Et per confectas populo vias, perpetuosque plaudentium clamores itum est. Peracto sacro, atque alio coram se, uti semper solebat, fieri iusso, tumulum observare voluit, ubi recens mortuus cardinalis Pamphilius fuerat conditus (obierat nempe, dum Catharinam Sabaudam, Cariniani principis filiam, Philippo Columnae fratris sui filio nuptam, adducit Romam) eiusque animae bene precatus, cum intelligeret esse bene multos qui pedem pontificium exosculari vehementer cuperent, ob eam rem transiit in bibliothecam, quam vocant capitularem, ibique canonicos primum, tum nobilium ac religiosorum quamplurimos pii voti compotes fecit. Verum hinc, conscenso iterum curru, spectatum venit celebre veronensium amphitheatrum (arenam illi appellant) romanae antiquitatis monumentum insigne, quo nihil in eo genere magnificentius. Nam quod extat etiamnum Romae amphitheatrum Flavii Vespasiani, multum illud quidem et spatii amplitudine et operis elegantia et ipsa materia, quippe ex lapide tiburtino totum, praestat; at sive temporum, sive hominum iniuria semirutum cernitur, et maiestatem antiquam ruinarum magis magnitudine, quam mole aedificii ornatuque sustentat. Veronense autem nec a romana differt forma et cunctis suis partibus constat. Huc ergo, uti dicebam, venit Pontifex et continuo editum in locum, eumque ornatissimum perductus est, unde totam in arenam late patebat aspectus. Quam quidem tanta hominum multitudo compleverat ut numerus, quantum aestimari potuit, excesserit ad millia capitum sexaginta. Pius aspectu tantae multitudinis delectatus,

cum insuper de benedictione magna omnium succlamatione positis humi genibus rogaretur, sublata hinc atque hinc dextera signum benedicentis usitato more fecit, id quod tanto sensu pietatis et gaudii acceptum est, ut aegre lacrymas ipse Pontifex con ineret. Ita nimirum humanas vices gubernante Numine, ut ubi profani olim ludi atque impii, aut cruenta gladiatorum certamina edebantur, illic nunc post tot secula tale christianae pietatis spectaculum ederetur. Ab arena placuit adire celebre musaeum lapidarium, Scipionis Maffaei cura studioque collectum, ubi multa Pius utpote istarum rerum apprime intelligens curiose perspexit. At eodem cum convenissent nobiles magno numero feminae, quas cupido incesserat pontificii pedis exosculandi, id illis perquam benigne comiterque permisit. Quo facto laetus, uti reor, tot actis rebus ac fessus domum, quo venerat comitatu, se retulit. Reliquum autem diei excipiendis, qui obsequii causa ventitabant nobilibus, aut religiosis viris atque ad pedis osculum admittendis exegit.

Die proxime consecuto mensis tertio decimo, post factum eo praesente sacrum in templo coenobii, Patavium discessum est. Abeuntem ad octo circiter passuum millia quem supra nominavi urbis praetor Savorgnanus deduxit. Dum mutantur equi, ut iam defunctus officio missionem petiit, quae cum magna gratiarum actione est praebita; perrexitque dein Pontifex Vicentiam usque progredi, ubi nonnihil immorandum censuit, quippe in urbe praeclara et ab aedificiorum structura ornatuque visenda. Libentius ut moraretur effecit occursus episcopi Ludovici Gabrielii et praetoris urbani Zachariae Mauroceni ac totius vicentinae nobilitatis, quae suum testari in eum obsequium pedis osculo gestiebat. Qui-

bus cum accederet rebus mira vis adveuarum, qui huc ex omni circum regione sola spe ducti pontificiae benedictionis confluxerant, faciendum sibi duxit, ne sua spe fraudati discederent. His ergo de causis divertit amplas in aedes Comitis Clericati idonco sitas loco, ac conscenso peristylo, inde populo benedixit. Episcopum post haec praetoremque ac ceteram nobilitatem ad osculum pedis peramanter excepit. His demum comitantibus spectatum iit theatrum, quod vocant olympicum, celebre Pallad i opus, eoque ut diguum erat collaudato iterum se dedit in viam Patavium versus. Et iam eo usque processerat ut millia passuum abesset baud plus duodecim, cum obvios babuit Nicolaum Iustiniauum episcopum patavinum et Ludovicum Mocenigum qui praetoris gerebat ea in urbe vices, bisque assectautibus reliquum deiuceps viae ita confecit, ut eius in urbem ingressus quamdam triumphi speciem referret. Namque ut omittam motum accolarum vix credibilem, qui ex omnibus circumiacentis agri pagis atque oppidis iu viam cousularem effuderaut sese ac transeunti benedictionem suppliciter implorantes acclamabaut, ut propius ad urbem venit, magnus aeris campani souitus intermixto tormentorum reboatu coeptus est exaudiri, qui Pontificis adventum nunciabat: nec finis laeti clangoris uisi cum iam ad bospitium pervenerat. Ab urbis porta ad coenobium usque S. Iustinae, ubi paratum illi erat hospitium, praelongo illo viae tractu parietes omnes domorum auleis aut pictis tabulis eleganter ornati cernebantur, fenestrae ac porticus dispositis apte luminibus quippe nigricante iam caelo collucebaut. Miranda in primis accidit quae pro coenobio iacet immensa area (pratum vallis appellat vulgus), quam quidem ita picturis luminibusque adornandam curaverat Mocenigus ut ab appa-

ratissimo theatro parum differret. Ne quid demum ad triumphi pompam deesset, transeunte Pontifice perpetuis acclamationibus omnia personuere. Ac tantus erat concursus populi ut equi, ne irruentem ac sese comprimentem opprimerent, lente incedere cogerentur. Cumque interim primae se intenderent tenebrae, inventi honestioris generis iuvenes viginti quatuor, qui ex composito ardentes e cera faces gestantes manu medium accepere currum pontificium, eumque ad destinatum usque coenobium magno suo gaudio deduxere. Sic in interiora coenobii cubicula introductus atque ab universa familia quae benedictini est ordinis reverenter exceptus, primas noctis horas per varia colloquia partim inter episcopum et Mocenigum, partim inter Rezzonicum et duos quos saepe dixi S. Marci procuratores absumpsit. Mane postero prima Pontificis cura fuit adire templum franciscanorum quos conventuales vocant, sacros Antonii Patavini cineres venerari, ibique rem divinam facere. Illuc itaque nobilissimo Mocenigi curru sex trahentibus equis cum maximo comitatu devectus est. Ornatissimum id erat templum ac populo plenum. Tota religiosorum familia ad fores. Ingredientem laeto cantu excepere symphoniaci illam pleno choro concinentes antiphonam, *Ecce Sacerdos magnus*. Peracto ad aram Antonii sacro, dum linguam eius quae incorrupta servatur curiosius observat ac pie veneratur, iterum auditi qui ex edito concinerent illud, *O lingua benedicta*. At siquidem erant ex honoratiore civium ordine qui pedem pontificium osculari percuperent, Pius hac re cognita transtulit se vicinum in sodalitium eiusdem Antonii titulo insignitum, remque ibi multis benigne permisit. Nec eo contentus, e pronao conspiciendum se praebens populo frequentissimo id ipsum suppliciter exposcenti benedixit. At-

que hinc eodem subsequente comitatu venit ad aedem cathedralem. Ibi paulum precabundus constitit, tum ante aram maximam, tum etiam ante sepulchrum B. cardinalis Gregorii Barbarici, donec transgressus in sacrarium canonicos primum deinque reliquos eius ecclesiae sacricolas ad osculum pedis excepit. Ab aede cathedrali publicum ad palatium civitatis continuato itu ventum est. Aula ibi est insanae amplitudinis, nulli tamen patuit nisi nobilitati locus, quippe ubi deliberatum erat ut omnes ac soli nobiles ad pedis osculum admitterentur. Et nihilominus cum adiacentem in aream infinita vis hominum convenisset, post factum nobilitati satis, progressus ad podium quod eum in usum fuerat eleganter ornatum, inde rursum populo benedixit. Ad extremum ne quod esset ea in urbe celebrius praeteriret, publicum in athaeneum maiestatem intulit, eoque humanissimum in modum perlustrato, omnes disciplinarum antecessores facta pedis exosculandi facultate laetos ac mire sibi obligatos reliquit. Atque in hac circuitione magna diei parte consumpta, gratulans sibi quod suae simul pietati ac piis omnium fere civium votis quantovis suo labore satisfecisset, ad S. Iustinae se retulit. Dum autem exscendit, sibi occurrentem ex nec opinato videt Ignatium cardinalem Boncompagnum legatum bononiensem. Vir nimirum apprime sagax ac rerum usu limatus, quem ego ob singularem eius erga me amorem libenter nomino, huc usque e sua legatione venerat, tum ut suo se adiungeret Principi eiusque deinceps cultum ac comitatum augeret, tum etiam, uti reor, invitatu amici et affinis sui Abundii Rezzonici, qui sororem eius in matrimonio habebat eoque utebatur familiarissime. Vt ut sit, Boncompagnum Pontifex

laetus vidit, interque ipsum et Rezzonicum fere reliquam eius diei partem exegit.

At sequenti die, mensis decima quinta, cum ad urbem Venetorum principem medio in salo positam directum esset iter, ad iter novi generis non curru sed navigio faciendum se accinxit. Atque initio quidem, ut diem quemque auspicari a religione solitus, descendit in templum S. Iustinae ac sacrificium praesente se fieri iussit. Tum ad Medoacum fluvium cum omni suo comitatu, sequentibus aliis longo ordine curribus ac tota aere campano perstrepente urbe, venit. Dromon ibi erat ad amnis ripam nobilis, in usum Pontificis ab urbe submissus. In eum prior intravit ipse, eodemque duo quos saepe dixi S. Marci procuratores et Mocenigus itemque duo apostolici nuncii Garampus et Ranuccius praeter Marruccium et Contessinium recepti sunt. Reliqui de comitatu per alia minoris formae navigia distributi. Et continuo classis secundo amne vehi coepta. At occurrentibus subinde repagulis, de quibus antea dixisse memini, crebrae fiebant procedenti morae, quibus alii atque alii ad venerandum Pontificem utebantur. Ut ventum ad Dolum, oppidum dioeceseos patavinae limitaneum, occurrit Iustinianus episcopus, qui huc anteverterat, ut cum Pontifice supremum salutationis officium expleret. Ut ventum ad Miram, quousque praetoris patavini iurisdictio protenditur, assurgens Mocenigus veniam retrocedendi petiit, cui cum magno verborum honore responsum est. Ad Morenzanum obviam processit Venetiarum patriarcha Ioannettus, utque in loco suae dioeceseos testatam Pontifici Maximo suam venerationem et obedientiam voluit. Ad Fusinum denique, ubi se in aestuarium Medoacus exonerat, inventi diversis lintribus magno numero episcopi di-

tionis venetae, huc eo studio delati ut pastorum Pastori obsequium profiterentur, eiusque comitibus se adiunxere, quibus singulis Pius ore nutu atque omni significatione se mire gratum ac benevolum praebuit. Per aestuarium, quod erat naviculis prope innumeris coopertum, ad insulam S. Georgii in Alga contento remigio deportatus est. Ibi venientem praestolabatur Dux serenissimus Paulus Reinerius cum praecipuis magistratibus ac toto senatu. Et vix exscensionem fecerat, cum accurrens obviam in genua procumbebat, quem tamen sustinuit Pontifex atque arcte complecti maluit. Secuta sunt verba hinc observantiae inde amoris et officii plena, qualia inter filium reverentissimum et amantissimum patrem opinari fas est. Ambo inde sacram aedem ingressi, scamnis separatis stragulo coopertis flexere genua, atque expositam inter lumina divinam Hostiam adoravere. Cumque interim esset in promptu navis splendidissima serico villoso rubri coloris intecta aureisque distincta taeniis, in eam prior rogatu Ducis introiit Pontifex, tum ipse Dux ac post eum duo patriarchae Ioannettus venetus ac Maruccius constantinopolitanus, duo deinde nuncii apostolici, Garampus et Ranuccius, postremo archiepiscopus Athenarum Contessinius et si qui e proceribus alii. Quod erat ex amplissimo comitatu reliquum, partim inter dromonem de quo dictum supra, partim denique inter proprias cuiusque cymbas divisum est. His autem ordinate sequentibus, naves primae remulco trahi per aestuarium coepere, donec post duo fere passuum millia in canalem invectae sunt lati alvei (Zueccam vocant) qui longe procurrens minores insulas ab urbe dirimit. In eius aditu dispositae triremes erant septem ac plura diversae formae navigia, quae transeuntem Pontificem crebris bombardarum explo-

sionibus salutavere. Simul ex omnibus urbis turribus omnia aera campana conseusu persouabaut. Sed nihil aeqne miraudum ac laetitia populi, qui fusus in omnes partes e naviculis e ripis e fenestris atque adeo e tectis domorum Pontifici fausta comprecabatur, ea animi atque oris hilaritate, plane ut gestire gaudio videretur. Ita multum cum processissent naves, ut tota canalibus iutercisa ea urbs est, deflexere inde iu caualem appellatione magnum, qui totam fere urbem vario fluxu percurrit. Et vere magnus est atque ab aedificiornm quae circumstant maguificentia viseudus, uuico tamen lapideo poute admirandi operis iuugitur. Quem praetervectae naves atque alios iuter se communicantes cauales ingressae, tamdiu progr ssae sunt douec ad coenobium dominicauorum, cui a SS. Ioanne et Paulo est uomen (hic enim Pontifex hospitari decreverat) sub noctem appulere. Praesto fuere ad ripam famuli quatuor et viginti, pari omnes atque eleganti vestitn, ardentes e cera taedas gestautes manu, et iam totum coenobium inuumeris eiusdem materiae facibus collucebat. Applicitis idque diverso loco uavibus, exscensio facta est. Postremus exscendit Pontifex, eumque Dux cum cetero comitatu in amplam cocuobii aulam honoris causa deduxit ac renovata salutatione discessit.

Die postero rediit eodem Dux cum senatu solemne gratulatiouis officium expleturus. Id autem cum iusigni caeremonia peractum. Sedebat emiuenti in solio Poutifex. Lauta episcoporum corona (et erant omuiuo viginti duo uumero) circumsistebat praeter praesules ipsius familiares. Dux ut affuit, primo ad imum solii gradum constitit, ac pauca officii verba prolocutus est: mox conscendit atque ad Pontificis laevam consedit. Post multa inter se ultro citroque iactata, descende-

re ambo coniunctim, ac tam frequenti splendidoque praeeunte episcoporum ac senatorum agmine, in aedem proximam SS. Ioannis et Pauli commigravere. Aedes alioqui ampla tres in partes divisa septis erat. Primam, quae arae maximae propior, Dux et Pontifex intravere ac separatis scamnis in genua procubuere. Alteram soli episcopi, senatores, equites aurati, S. Marci procuratores patriciique veneti in sua quisque toga occupavere. In tertiam nobiles tantum admissae feminae. Quod extra septa vacuum, exterae nobilitati aut viris ecclesiastici ordinis servabatur. Pontifex ut apparuit, continuo auditi cantores musici qui *Ecce Sacerdos magnus* solemni more concinerent. Ut vero suo quisque constitere loco, hymnus ambrosianus praecinente patriarcha ad numeros decantari coeptus est tam plena clamorosaque symphonia, nihil ut addi posse videretur. Numerus instrumentorum ad centum excessisse dicitur. Eo demum peracto, Dux et senatus Pontificem in coenobium quo venerant ordine reduxere. Ceterum eo die Pontifex domi se continuit, ita tamen ut vix ullam quietem caperet. Horis antemeridianis intra sua cubicula, quae magnificum sane in modum reipublicae sumptu ornata fuerant, marchionem Durazium et marchionem Squillacensem, illum Caesaris hunc regis Hispaniae oratorem, ac ceteros legatos principum exterorum ad colloquium admisit. Post meridiem reversus in aulam de qua supra dicebam, omnes viritim S. Marci procuratores et equites auratos et urbis magistratus, demum quotquot e patricio ordine salutandi venerandique causa ventitabant, excepit, qui numerus excessisse dicitur ad septingentos. Saepius etiam intra diem, motus populi pietate, qui e coenobii cavaedio pontificiam benedictionem suppliciter exposcebat, eidem e fenestra perquam benevole benedi-

xit. Horas demum vespertinas inter Boncompagnum et Cornelium cardinales Abundiumque Rezzonicum senatorem urbis Romae privatim divisit.

Postridie cupido eum cum incessisset visendae urbis orbe toto nominatissimae, affuere ad eius nutum rates elegantioris formae tres, atque una praecipue amplior ac tota auro perlita in eius usum. In hanc ingressus, ad latera considentibus binis quos saepe dixi procuratoribus S. Marci Maninio et Contareno, recta ad armamentarium devectus est. Nihil in eo genere magnificentius visum est usquam aut fingi potest. Magnam urbis partem ambitu colligit. Operae perpetuo incolunt ad duo millia, efformandis aut reficiendis omne genus armamentis intenta. Quidquid machinarum aut tormentorum praesertim in usum belli maritimi est opus, ibi semper convectum et paratum est. Materiae tanta vis, tanta navalis rei experientia, ut hora una navim maioris alvei, si res postulat, ex integro construant. Pius per omnia circumductus, omnia duas continenter horas curiosissime observavit. Et prius quam abiret, praesente se coeptam eximiae magnitudinis anchoram celeriterque confectam vidit. Discessit proinde laetus, nec erga operarios liberalitate principe digna abstinuit. Inde ut votis occurreret Ioannetti patriarchae, simul ut quanti eum faceret publico documento comprobaret, ad aedem patriarchalem deportari voluit. Venientem excepit venerabundus ad fores patriarcha, utque Pontificis norat benignitatem et mire erga se propensum sciebat, eum non in templum modo sed proprias etiam in aedes introduxit, ubi ut suae matri primum, vetulae pientissimae, deinde ut universo eius ecclesiae clero pedem osculandum praeberet, facile impetravit. Dum hinc Pius digreditur, rediit in mentem gentis

Rezzonicae ac nominatim Clementis XIII decessoris sui, cuius beneficio honorem quaesturae erat adeptus ac tantam deinde ad fortunam pervenerat. Cumque intelligeret esse in coenobio S. Catharinae duas eius ex fratre neptes, sacratas Deo virgines religiosissimas atque unam ex iis ceterarum antistitem, illuc divertendum grati animi causa censuit, ibique omnes exorsus ab antistite ad osculum pedis admisit. Ab hac demum circuitione reversus ad habitationem suam, cum nonnihil cessandum ac respirandum erat, sacrarium templi reperit nobilibus oppletum feminis, quae pedem pontificium osculari percupiebant, itemque oppletum coenobii cavaedium populo qui benedictionem avide expectabat. Utque ex his nihil cuipiam denegandum existimabat, quanquam hora ultra meridiem processerat, primo intulit se in sacrarium ac feminis pedem osculandum e parata sella porrexit, deinde ad fenestram progressus populum benedictione donatum dimisit. Post prandium redire amplam in aulam de qua supra dicebam, atque adventantibus officii causa sive nobilibus sive religiosis viris aures accommodare ac pedem praebere coactus est; quibus ipse singulis cum aliquid verborum affabiliter ut se dabat occasio reponeret, ea res totam fere diem tenuit. Sub vesperam sua se recepit in cubicula, ibique duos quos dixi cardinales, Boncompagnum ac Cornelium, Abundiumque Rezzonicum longo ac familiari sermone detinuit.

Rediit redeunte die cupido visendae urbis, seu crevit potius. Affuere itaque eaedem mane rates, iisdemque comitibus basilicam S. Marci, augustae maiestatis templum nec mole minus quam antiquitate visendum, primo petiit. Plenum id erat populo templum, ac totum luminibus ut in celebriore anni festo coruscabat. Pontifex post piam precationem omnia

accurate perspexit tum operis musivi tum alterius generis ornamenta, nec ultra quam opus erat moratus, per adiacentem aream retulit se suam in navim, atque ad coenobium S. Georgii, quem maiorem vocant, traiecit. Sedet id coenobium parva in insula quae urbi ad meridiem obiacet, benedictini cassinatenses incolunt; et cum ampla per se monachorum habitatio, tum quod adhaeret templum ab edificii structura picturarumque elegantia plurimum commendatur. Pius omnibus accurate perlustratis rebus, eam spectabilium religiosorum familiam ad pedis osculum clementer admisit, atque inde ad inspiciendam aedem, quam a Redemptore denominant, transiit. Cursum regebant scilicet assidentes duo S. Marci procuratores et notabiliora Pontifici commonstrabant. Et porro in aede cum marmoris copiam et picturarum venustatem advenarum plerique mirentur, Pius pietatem et munificentiam reipublicae, cuius impensa fuit ex voti religione condita, praecipue laudavit; et permisso fratribus cappucinis, eam qui procurant, pedis osculo, hinc ut Contareno gratificaretur ad BB. Gervasii et Protasii, quippe eius aedem curialem, divertit. Eaque similiter inspecta, ad sodalitium sancti Rochi postremo loco traductus est. Aedes ibi est elegans, cui insignes Tinctoreti picturae celebritatem fecere. Singulas obiit adspectavitque diligenter Pius, utpote istarum rerum intelligens. Dum inde gratulans magnoque opere viso delectatus abscedit, quadam repente sublata tabula eius loco praefixa, statim apparuit incisa marmori inscriptio, in qua erat de Pio VI Pontifice eam aedem perhumaniter invisente, deque perpetuo extitura eius beneficii apud sodalitatem memoria et gratia. Quae res eo gratior quo minus expectata intuenti accidit. Actis itaque sodalitati gratiis et cunctis ad unum sodalibus ad

osculum pedis admissis, abscessit. Atque hunc denique in modum absumpta magna diei parte rediit domum. Ubi frequens cum esset de more populus in cavaedio, ei confestim e fenestra benedictionem impertiit. Maminius eo die alter ex assidentibus procuratoribus carmen ad musicos contractum modos nobilitati dedit in suis aedibus, in quo, sive libelli verba sive symphoniae venustatem sive cantorum cantatriciumque praestantiam seu demum totius apparatus magnificentiam spectes, fieri nihil poterat in honorem Pontificis excellentius et sumptuosius. Pius tamen causatus gravioris momenti curas, non interfuit. Deliberatum quoque fuerat inter patres de publica decursione cymbarum certatim remigio facienda, quod spectaculum Venetiis est magni clamoris, et magno cum apparatu sumptuque dari populo solet in honorem magnorum hospitum. Sed qui feminas scitissime concinentes noluit audire, multo minus remum viriliter agentes aspicere animum induxit.

Novum enim vero spectaculum ac multo veneta pietate dignius populo datum est die postero. Nam cum in eum forte diem incideret solemne festum pentecostes, patriarchae edixerat Pontifex, placere sibi ut eo die in aede Ioannis et Pauli augustiore ritu operaretur. Se enim propalam operanti adstiturum, quo prorsus modo Romae Pontifices solent, ac deinde populo pontificiam benedictionem cum maiori indulgentia ex edito elargiturum. Qua cognita re, Dux etiam serenissimus cum senatu eidem sacro sibi publice assistendum censuit, quo nempe iuncta maiestati maiestas speciem ac pompam divinae religionis augeret. Principio igitur Pius missae sacrificium privatim in aede, quam dixi, confecit. Post in coenobium reversus, expectavit dum celebrioris sacrificii tempus

adesset. Hora condicta egressus e palatio Dux cum senatu, navibus usitatis, in coenobium venit intulitque se recta in aulam, ubi Pontifex episcoporum turba circumseptus sedebat. Qui Ducem ut vidit subeuntem, e solio delapsus ei se adiunxit cum eoque, ceteris praeeuntibus, in sacrarium descendit. Ibi cardinales aderant in purpureis paludamentis duo Boncompagnus et Cornelius, qui Pontificem sacris vestibus induerunt et thiaram pontificiam imposuerunt. Hisque mox stipantibus latera, sublimi praelata cruce, sequentibus ritu supplicantium episcopis viginti et octo, senatu ac Duce comitantibus, ad aram templi maximam ventum est. Pontifex ab imo gradu, stante ad dexteram patriarcha, ad laevam nixo genibus Duce, prooemium missae, ut mos, ac confessionem recitavit. Inde ipse ad solium eminens quod erat ex evangelii parte locatum, Dux ad alterum haud ita magnum e regione positum transiit. Disposita erant ex utraque parte subsellia quadratam in formam exeuntia. Hinc episcopi, inde senatores consedere: cardinales parvulis in scamnis Pontifici assidebant, duo episcopi cum legendum erat librum et candelam ministrabant. Atque hoc demum in augusto consessu patriarcha, in reliquum templi spatium contracta nobilitate, sacrificii solemnia inter laetos symphoniacorum choros peregit. At enim venetos nihil aeque delectavit ac secuta Pontificis benedictio. Extructum in id fuerat ad coenobii latus opere subitario pegma sublime, amplum atque ornatissimum ad apsidem desinens, ad quam per duas hinc inde scalas ascendebatur. Et quia obiacens area videbatur angustior quam ut capere populum concurrentem posset, totus secundum coenobii longitudinem procurrens canalis palis asseribusque fuerat probe contabulatus. Eo in opere fabri lignarii

plus ducenti ex armamentario deducti laboraverant. In hanc ergo apsidem per interiorem coenobii viam cum eodem comitatu Pontifex venit, ibique cum cardinalibus ac Duce solus in conspectu infinitae multitudinis constitit, fusis per utramque scalam episcopis ac senatoribus. Cumque omnes in genua procubuissent, Pontifex invocato numine signum bene precantis ter ducta crucis in formam manu fecit. Salutare signum excepit pia populi compunctio primum, dein laetissima acclamatio, et eodem tempore mille bombardae ac mille aera campana urbe tota concrepuere. Ad laetitiae cumulum cardinales indulgentiam in utraque lingua, latina et italica, promulgavere. Quam quidem Pontifex singulari benignitate ad dies quindecim protrahebat. Vtque in hunc modum confecit rem, eodem ordine ac comitatu reditum est in sacrarium, ibique iterum mutatae vestes Pontificis. Quem tamen Dux cum senatu in coenobii cubicula redeuntem sequi, nec prius dimittere quam ab ipso rogatus voluit.

At eo ipso die deliberatum fixumque erat Pontifici abire Venetiis. Nec enim ut diutius aliquanto moraretur exorari potuit. Sed nec abire prius voluit, quam sua in sede Ducem serenissimum salutasset. Qua ergo hora discedere constituerat, iisdem exceptus cum suo comitatu navibus, Contareno de more Maninioque assectante, primum omnium ad ducale palatium deportari se iussit. Vt forte res suboluerat, invent cum Duce magistratus primoresque omnes Reipublicae. His coram gratias prolixe egit Principi pro tot eius erga se meritis, in eandemque sententiam pro dignitate elocutus, permitti sibi petiit ut circuire parumper aulas et insignes earum picturas liceret inspicere. Quo facto et renovato urbanitatis officio, cui summo cum honore verborum responsum est, per

minorem quem vocant arcum retulit se ad naves ac solvit. Quamdiu per lacunam iter fuit, vix credibile quam multae circumsteterint naviculae, quot undique exauditae acclamantium ac fausta comprecantium voces. Ipse omnibus elata dextera benedicebat. Fusinam ut appulit, exscendentem excepere cum Ioannetto patriarcha plerique ditionis venetae episcopi cum eoque supremum venerationis officium peregere. Quibus ipse invicem amantissime benedicens, ultimum valedixit. Inde suo conscenso curru, praecurrente equitum agmine, aliis atque aliis pone subsequentibus curribus, terrestri itinere Patavium contendit.* Urbem non attigit nisi primis tenebris, quas tamen accensae omnibus viis faces plane dispulerant. Hospitium ut ante venit ad S. Iustinae. Venientem ad fores opperiebatur Iustinianus episcopus cum coenobiarcha ac tota coenobitarum familia. Prior tamen obviam processit cum magna nobilium turba, quem alibi nominavi, Aloisius Mocenigus utpote qui urbem cum imperio obtinebat, cumque esset Pontifici mire addictus, praetoria utens potestate, miram in eius adventu edi significationem laetitiae infinitis accensis luminibus iusserat Quare Pius in coenobii cubicula introductus, quanquam virorum nobilium plurimos ad osculum pedis excepit, nullam tamen mulierum nisi Polisenam Mocenigi coniugem, cui insuper precarios e pretioso lapillo globulos indulgentiis auctos ad animi sui memoriam dono dedit.

* *Totam hanc narrationem de adventu Pii VI ad urbem venetorum principem, uti etiam alteram de eius solemni ingressu in sedem honoris sui, iam typis edidit eruditissimus vir Franciscus Cancellieri in notis ad historiam, cui titulus* Dei solenni possessi de' Sommi Pontefici ecc. pag. 432, 516.

Secuta dies est maii mensis vigesima, cum demum Pius post tam longam evagationem sui dominii terras revisit. Mane igitur primo post usitatam sacri religionem, actis episcopo proceribusque ac nominatim Mocenigo gratiis, populo autem qui confertissimus erat benedictione donato, iterum se dedit in viam ac Ferrariam iter direxit. Nec tamen discedentem amor et cura Mocenigi deseruit. Eius opera consiliisque Pontifex Medoacum amnem, quem minorem vocant, traiecit ponte glebis instrato atque arboribus obsito, vix ut aquam subterlabentem senserit. Traiiciendo ad Anguillariam fluvio Athesi navigium ornatissimum, in eoque paratum viribus reficiendis epulum reperit. Nec ultra hunc terminum Mocenigi iurisdictio protendebatur. Rhodigio dehinc transeuntem, quod oppidum est agri rhodigini caput, Marcus Morus provinciae Gubernator et hadriensis episcopus cum exquisito verborum officio salutavere. Vt ventum denique ad venetae ditionis confinia (Canaro nomen est loco), Maninius et Contarenus qui secuti hactenus fuerant ut iam suis defuncti partibus veniam retrocedendi petiere. Quos Pius supremum alloquens verbis perhonorificis compellavit, eorumque collaudata erga se diligentia plane sibi devinctos atque obligatos dimisit.

Iam vero fines ut attigit provinciae ferrariensis, non Pontificem modo esse se sensit, qualis orbe toto catholico erat, verum etiam in sua ditione Principem. Aderat ibi provinciae legatus cardinalis Carafa, unaque secum levis armaturae equites ad Principis custodiam adduxerat. Eodem ab usque Taurino magnis itineribus venerat cardinalis a Lanceis, ut Pontifici felicem ab Germania reditum tum suo tum Regis Sardiniae nomine gratularetur. Utrumque Pius suum admisit in currum, reiectis in alterum Maruccio ac Contessinio, per-

rexitque citatis equis Ferrariam progredi. Ut propius ad urbem accessit, tormenta resonare coeperunt. Urbem inter infinitos populi plausus ac festas acclamationes intravit. Hospitium sibi ut ante delegerat in ordinis dominicani coenobio. Ibi venientem expectabant autegressi Boncompagnus cardinalis et senator urbis Rezzouicus, praetereaque Mathaeius archiepiscopus ferrariensis cum tota urbis nobilitate, et mira omnium gratulatione ac laetitia exceptus est. Ceterum eo quidem vespere solos in colloquium admisit cardinales, archiepiscopum atque e nobilioribus quosdam. Cumque interea primae se intenderent tenebrae, urbs tota facibus ac funalibus collustrata ad laetitiae significationem apparuit, id quod die quoque sequenti factum. Duos porro dies Pontifex Ferrariae constitit. Quo tempore quam multis e nobilitate viris ac feminis civibusque honestioribus se affabilem praebuerit ac pedem osculandum permiserit, dici vix potest. Pius egressus domo binis cum cardinalibus et equestri terrestrique custodia militum, pulcherrimam civitatem circumiit. Ac primo quidem cathedrale templum aedesque episcopales, deinde palatium legati invisum iit. Bis ex edito pontificiam benedictionem populo impertiit. At memorabilem in primis fecit diem mensis maii secundam supra vigesimam. Eo namque die quatuor cum adessent Ferrariae cardinales (quippe Carafa, de Lanceis et Boncompagno se adiunxerat superveniens e Foro Cornelii Bandus), consistorium ex his habuit in sacrario coenobii, in eoque Alexandrum Mathaeium archiepiscopum ferrariensem, quem iam inde ab anno 1775 die duodecima iulii inter patres adscripserat sibique, ut aiunt, in pectore reservaverat, cardinalem publica allocutione dixit eique purpureum pileolum novae dignitatis insigne, ut ro-

mana fert consuetudo, capiti imposuit. Quo facto ut iam cumulata ferrariensium laetitia, momento eodem, una secum assumptis Carafa et Boncompagno, Bononiam iter intendit. Atque ex itinere molitiones sumptuosissimas, quae ad exsiccandas agri bononiensis aquas fiebant, obiter observavit.

Bononiam multo ante solis occasum attigit. Vtque praeiverat rumor, tota se civitas in occursnm eius effudit, nec modus hilaritati plaudentium et acclamantium fuit. Simul bombardae atque aera campana urbe tota personuere. Delatus recta ad coenobium familiae dominicanae, stantes ad fores in eius expectationem reperit cardinales Ioannettum archiepiscopum bononiensem, de Lanceis, et qui nuperrime ab Mediolano venerat Durinum. Aderat etiam provolutus in genua princeps senatus, quem Gonfalonerium appellant, cum tota nobilitate. Pontifex cunctis ore manuque benigne salutatis, parata in cubicula subiit. Et eodem vespere, ut in lucro poneret tempus, tum singulos cardinales in colloquium admisit, tum ultro gratulationes accepit Regis Hispaniae, quas Comes Zambeccarius, et Regis Sardiniae, quas Comes Blancus, et Regis Poloniae, quas Marchio Fagnanus, et lucensis reipublicae, quas Marchio Santinus, in id praecipue delegati ferebant. At multo his gratior accidit Ferdinandus Borbonius parmensium Dux, religionis eximiae princeps, qui simile officium praestare summo sacrorum Antistiti, non per legatum sed coram per se ipse voluit, utque antea abeuntem in Germaniam faustis ominibus prosecuturus advenerat, ita nunc redeunti ut felicem itineris exitum gratularetur, discessit Parma ac tanta festinatione viam pervolavit ut Bononiam postridie mane pervenerit. Exierat tunc forte domo Pontifex binis cum cardinalibus Lancerio et Boncom-

pagno atque ad aedem metropolitanam sacris operaturus processerat. Peracto sacro, brevi conficere multa cupiens, transiit in aedes episcopales proximas ibique clerum et magistratus et magnam nobilitatis partem ad osculnm pedis excepit. Hinc ad musaeum bononiense, institutum quod vocant scientiarum, se contulit, quaeque ibi notabiliora et insignem bibliothecam diligenter inspexit. Templum post haec adiit celeberrimam S. Petronii, quod erat per quam magnifice et eleganter ornatum, et hymnum ambrosianum cum exquisitiore symphonia decantatnm exaudiit. Postremo ad palatinm publicum legationis divertit, atque ex edito podio, quod eum in usum fuerat egregie apparatum, super populum confertissimum solemne signum bene precantis fecit. His porro agendis rebus, ut multum festinaret, totum antemeridianum tempus absumpsit. Itaque non rediit domum nisi post meridiem. Ecce autem dum sua se recipit in cubicula, nescias maiorine admiratione an gaudio, sibi occurrentem videt, quem dixi, Ducem Ferdinandum. Nec mora, Principem amantissime affatur atque complectitur. Is vicissim, quod sospes redierit, gratulatur, nullamque interea obsequii significationem, quae Pontifici Maximo deberetur, praetermittit. Atque adeo iam tum Pii aspectu alloquioque captus apparuit, plane ut constaret, non alia venisse causa, quam ut eius alloquiis ac consuetudine frueretur. Et commodum in eodem dominicanorum caenobio hospitium ceperat, eoque facilis illi ad Pontificem erat accessus.

Nec vero hac uti facilitate distulit. Mane postero Pontificem adiit intra ipsius conclavia, cum eoque longum ac familiare colloquium habuit. Eo die Pontifex, binis secum assumptis cardinalibus Ioannetto ac Boncompagno, ad tem-

plum se ferre constituerat, quod a monte denominant, ubi scilicet imago colitur B. Virginis ab ipso ut creditur Evangelista Luca depicta, atque ibi sacrum conficere deliberatum habebat. Templum id est augustae molis ac religionis antiquae, sedetque praecelso in monte tribus ab urbe passuum millibus, quo tamen per viam perpetuis porticibus tectam itur; bononiensis opulentiae pariter ac pietatis monumentum insigne. Illuc profectum ut audiit Pontificem, sequi festinavit pius Princeps eundem in locum, et summum Sacerdotem sacrificantem magna sua voluptate conspexit. Nonnihil ibi constitit Pontifex dum sacras dominicani ordinis virgines et alios quosdam templi custodes ad pedis osculum admitteret: constitit etiam Princeps. Digressus inde Pontifex invisum iit carthusiani ordinis templum ac coenobium, itemque coenobium ac templum ordinis olivetani, duo sumptuosa aedificia situ ornatuque visenda, et utrobique coenobitas ad osculum pedis excepit. Tota hac circuitione Princeps Pontificem sequi perrexit; ut ab eo divelli vix posse videretur, donec ambo communem habitationem multa iam die repetiere. Quod reliquum diei fuit Pontifex partim inter cardinales, partim inter nobiles aut religiosos viros, Princeps totum inter suos dominicanos exegit.

Successit dies maii mensis quinta supra vigesimam, qua die Pontifex Forum Cornelli cogitabat. Prior mane ad eum salutandum accessit regius Princeps, nec brevis inter utrumque fuit sermo. Cumque interim cardinales ac tota fere nobilitas in anteriora cubicula convenissent, prodiit in medium Pontifex, eoque assectante agmine nec tamen latus deserente Principe, descendit in aedem sacram, constititque nixus genibus ante aram S. Dominici dum sacrum celebrare-

tur. Divertit inde in sacrarium ibique nobiles magno numero feminas, quae pedem pontificium osculari cupiebant, pii voti compotes fecit. Quo facto, sua se retulit in cubicula, atque in colloquium admisit senatus principem, ut vocant, Gonfalonerium. Is ad testandum universae civitatis obsequium veniebat, et obsequii argumento quaedam ex auro numismata nuper ad memoriam eius itineris egregie cusa ferebat, quae parva in lance oblata cum grati animi significatione Pius accepit. Sed iam in arcto tempus discedendi erat. Pius discedere non sustinuit, nisi prius regium Principem adeo sibi addictum officio demeruisset. Itaque in eius cubicula ex nec opinato se intulit, dataque invicem et accepta quo opinari fas est benevolentiae sensu salute, iterum rediit ad propria. Erant tum Bononiae, ut supra diximus, in comitatu Pontificis duo sedis apostolicae nuncii, Garampus et Rauuccius, ille Viennam rediturus hic in Lusitaniam profecturus. Hos introduci ad se iussit, atque apta tempori cum singulis elocutus utrumque cum fausta prece dimisit. Proxime aderat praefinita discessui hora diei vigesimae, cum iterum affuit regius Princeps Ferdinandus (nec enim discedere sine pontificia benedictione voluit), ac paulum moratus continuo Parmam discessit. Nec ita multo post etiam Pontifex, secum in currum admissis cardinalibus de Lanceis et Carafa, in viam se dedit. Prius tamen quam urbe excederet, divertit iterum ad palatium legationis, atque iterum populo, qui amplissimum illud forum implebat, ex edito benedixit. Haud sane multum pro urbis amplitudine ac populi voto Bononiae constitit Pius, brevi tamen tempore tot accepit honoris obsequii ac devotionis argumenta, ut plura maioraque optare vix posset. Vel illud quantum est, quod quacumque transibat opplebantur populo vice

ac laetis acclamationibus personabant? Adde quod toto triduo sub noctem accensae urbe tota sunt faces ac festivi ignes arsere. At Romam Pontifex properabat, distabatque adhuc millia passuum fere trecenta.

Forum Cornelii non attigit nisi post occasum solis, atque in ipso urbis aditu arcum triumphalem reperit operis perquam magnifici, quem in eius honorem Cosmus Morellus indidem civis idemque architectus excellens extruxerat. Hinc ad aedes episcopales tetendit. Hospitari nempe decreverat apud urbis episcopum Bandum cardinalem avunculum, ut alibi dixi, suum, qui e curru exscendentem excepit ac parata in cubicula introduxit. Nemini eo quidem vespere Pontifex se videndum praebuit, praeter quam Bando et quos secum adduxerat cardinalibus. At sequenti die, quae dies erat dominica, progressus publice in templum cathedrale divinam Hostiam toto spectante populo obtulit. Quo peracto descendit in subterraneum, ac super aram Petri Chrisologi aureum eximii operis calicem sua manu deposuit, futurum sui erga beatum civem corneliensem obsequii perpetuum monumentum. A templo publicum ad palatium civitatis deferri voluit, atque inde populo solemnem benedictionem impertitus, rediit domum. Erant tum Foro Cornelii cardinales omnino septem, praeter enim Bandum, Carafa et de Lanceis, de quibus dictum supra, huc a Bononia Boncompagnus et Ioannettus, ab Ravenna Valentus, ab Ferraria Mathaeius advenerant. Inter hos et Abundium Rezzonicum senatorem urbis Romae, qui Boncompagno uxoris suae fratri comitem se adiunxerat, totum eum fere diem Pius exegit; intereaque consistorium indici iussit in diem posterum, quo die Alexandro Mathaeio recens creato cardinali novae dignitatis insignia tradere con-

stituerat. Hac ergo die, quae maii mensis erat vigesima septima, inter cardinales pontificali paludamento indutus apparuit, et Mathaeio purpureum galerum solemni caeremonia capiti imposuit. Eundem deinde pileum haud sine apparatu ac pompa, ut romana consuetudo fert, ad novum cardinalem nocte ingruente transmisit. Qua in re placuit adhibere Antonium Codroncum virum nobilem corneliensem, qui tum negotia Pontificis procurabat apud Regem Sardiniae, sed in patriam ab usque Taurino hac oblata occasione venerat. Quem proinde Pius per causam gerendi pilei suis honorariis cubicnlariis adscripsit. Ceterum eo die nihil praeterea actum notabile, nisi quod cardinalibus de rebus suis referentibus aures praebuit, et ad celebritatem seque .tis di i rite peragendam se comparavit

Sequenti porro die rem inceptavit eximiae celebritatis, quam incredibili tum quidem gaudio spectarunt cornelienses, at deinceps, eadem redeunte die maii vige ima octava, anniversaria recordatione recolant necesse est. Templum videlicet cathedrale erat Foro Cornelii, ut alibi me dicere memini, insigni illud quidem magnificentia, sed recens a fundamentis extructum opera et impensa episcopi cardinalis Bandi necdum solemni ecclesiae ritu dedicatum. Hanc ergo Pius dedicationem, partim rogatu avunculi fundatoris partim propriae pietatis instinctu, a se fieri censuit oportere. Et vero fecit. Non dicam apparatus quae pompa fuerit, quae summi Sacerdotis religio ac maiestas. Sacras caeremonias exequentem adiuvabant duo cardinales archiepiscopi Ioannettus bononiensis et Mathaeius ferrariensis. Duo ex aulae pontificiae praesules, Nardinus et Codroncus, diaconi et subdiaconi partes agebant, cardinales ceteri circumsistebant. Quod templi

vacuum nobilitas et clerus implebat. Dedicationem Pontifex clausit oratione latina plena roboris et gravitatis, quam habuit ad populum, id potissimum spectans ut cornelienses Petrum Chrisologum ravennatem episcopum civem suum et magni facerent et honore debito colerent. His demum haud sine labore confectis rebus, sacro indumento deposito, divinae adstitit rei, quam ex altari recens consecrato primus cardinalis Ioannettus fecit, atque e templo in domum episcopalem, quo venerat cardinalium ac procerum comitatu, se retulit. Ita magnam diei partem cum transegisset, ut erat defatigatus die reliquo domi se continuit, non tamen otiosus. Cardinales enim, cum essent in suam quisque sedem redituri, adfuere viritim eum ut supremum alloquerentur ac veluti missionem peterent. Quos ipse singulos non solum peramanter excepit, sed longo ac familiari sermone detinuit et cum magna gratiarum actione dimisit. Nocturnas horas sibi, ac Bando avunculo reservavit.

Successit dies maii undetrigesima, qua Pius die Caesenae in paterna domo pernoctare decreverat. Nec tamen cornelienses deserere induxit animum, nisi prius novum iis benevolentiae signum praebuisset. Mane igitur, iisdem assectantibus cardinalibus venit ad palatium publicum civitatis ac populo qui totam obiacentem aream implebat ex edito benedixit. Hinc obiter inspectum iit novum templi aedificium, quod pro coenobitis olivetanae familiae Bandus magnifico opere moliebatur. Quippe hoc coenobium sacerdotii nomine commendatum habebat. Nec ultra moratus, iterum salutatis cardinalibus, cum usitato suo comitatu se dedit in viam Caesenam versus. Vix abierat Pontifex, cum duo cardinales Boncompagnus et Ioannettus Bononiam, alii duo Carafa et Ma-

thaeius Ferrariam, Valentus Raveunam, de Lanceis Taurinum, suo quisque itinere discessere. Caesenam ab Foro Cornelii medio fere spatio tendenti occurrit Faventia. Huc Pontifici appropinquanti apparuit praefixa portae ingens tabula cum inscriptione, quae felicem ab Germania reditum ei gratulabatur. Ab adversa porta similis prostabat inscriptio, quae Romam progredienti felicem itineris exitum comprecabatur. Pius urbem ingressus divertit ut ante iu domum sui consanguinei Scipionis Zannelli, ibique paulum moratus episcopum, magistratum urbis, canonicos et nobiles quosque ad osculum pedis clementer admisit. Mox invisum iit operosam molitionem uovi canalis, qui ad commercii commoditatem Zannelli ipsius sumptu effodiebatur. Nec parum est delectatus cum iacta in aquam praesente et inspectante se vidit duo egregiae formae navigia, et suos cuiusque nautas simili omnes nec invenusto vestitu spectandos. Ad publicum palatium inde venit atque e nobili meniano ornatissimoque populum succlamantem ac fausta omnia comprecantem apostolica benedictione laetum dimisit. Siquidem vero dies praecipitabat, continuo currum conscendit ac rursus arripuit viam, uihilque moratus Forolivii uobili cetoroqui iu urbe uisi quatenus mutarentur equi, perrexit Caesenam progredi, nec eo tamen nisi post occasum solis pervenit. Quo gaudio plausuque suum simul civem ac Principem ab tam longinqua terrae plaga revertentem caesenates exceperint, opinari fas est. Sed laetus iu primis ad fores domus Braschiae, ubi exscendit, consanguineorum et affinium occursus fuit. Inventae ibi genibus nixae sorores eius duae Olympia ac Iulia, et fratris uxor vidua Autonia, itemque duae ueptes Theresia ac Mariauna puellae elegantissimae, et qui demum cuncue gentem Braschiam nonnulla

propinquitate attingebant. Quibus ipse amantissime salutatis ac subsequi iussis, in domus interiora se intulit ac singulorum gratulationes per otium accepit.

Quatuor ipsos dies, et si quid amplius, Caesenae quippe insito patrioque amore detentus exegit, nunquam tamen otiosus, imo nusquam fortasse alibi occupatior. Quae prima sequebatur dies, cum in eam forte incideret festum Corporis Christi, laboris plurimum habuit ab solemni eius diei supplicatione, qua per urbem circumferri divina Hostia solita est. Ubi enim ad palatium civitatis pompa pervenit, in altari splendidissimo quod ibi erat erectum, sacrum gestamen deposuit episcopus, succedensque in eius locum Pontifex reliquum viae spatium satis longum in templum usque cathedrale confecit atque usitatam benedictionem populo praebuit. Porro in ea re nihil ad splendorem celebritatis ac magnificentiam desideratum. Praeter enim immensam luminum copiam, aulaeis ac peristromatis intectae conspiciebantur viae ac desuper velis umbratae; quodque novo admodum spectaculo fuit, ante Pontificem Maximum processere supplicantium ritu episcopi duodecim (tot nimirum Caesenam ex omni circum regione convenerant) et abbates mitrati quatuor suo quisque pontificali paludamento spectandi. At ipse Pius interim et longa circuitione et sacri ponderis gestatione et ipsa indumenti magnitudine haud parum defatigatus rediit domum. Nihilo tamen minus post prandium excipiendis atque ad pedis osculum admittendis civitatis primoribus magnam temporis partem impendit. Diem proxime consecutum, maii mensis ultimum, fere ex integro duodecim quos dixi antistites sibi vindicarunt. His enim de rebus suis referentibus non aures praebere alienum a se Pontifex humanissimus duxit. Adde

quod legati urbium viciuarum ad praestandum obsequium nobilesque alii viri permulti supervenerant, quos itidem inauditos dimittere aut in alium diem diferre nou sustinuit. Die tertia, quae prima iunii mensis erat, principio aedem sacram extra urbem adiit ordinis benedictini cui S. Mariae a monte est nomen, praecipua sibi religioue commendatam, quippe ubi imago S. Virginis antiqua et clara miraculis colitur. Ibi sacerdotali sumpto indumento duos primum pronepotes suos adhuc impuberes, Angelum Bandum et sororem eius Elisabetham, sacro inuuxit confirmatiouis oleo, inde missae sacrificium celebravit, eisdemque pariter ac sororibus suis, fratris uxori ac ueptibus, de quibus dictum supra, panem eucharisticum miuistravit. Postremo calicem quo celebraverat velut suae in eam imaginem pietatis perpetuum pignus in altari relinqueus, transiit iu coenobium, ac nobilibus magno uumero feminis, quae eodem ex omni urbe coufluxerant, pedis osculandi copiam fecit. Pomeridianum tempus excipiendis ecclesiasticis utriusque cleri hominibus datum est. Praecipuum tamen laborem habuit dies quarta, qua sibi persuadere passus est ut templum fere ex integro instauratum servorum Matris Dei solemui ritu dedicaret. Sacram caeremoniam ad supremos usque apices ecclesiae more confecit. Omues quos dixi episcopi circumstitere; diacoui subdiaconique partes Lucatellus episcopus spoletinus et Tareius feretrauus supplevere. Confecta dedicatioue orationem aeque disertam ac piam ad populum Poutifex iufatigabilis recitavit. Iusso deinde caeseuatum episcopo Francisco Agosello divinam rem in altari recens consecrato facere, operauti ipse adstitit, et praeclari operis calicem sacrificalem ei templo dono habendum reliquit.

Reversus domum, reliquam diei partem domi inter suos transegit.

Quatuor in hunc modum Caesenae factis diebus, die iunii mensis tertia discessit Ariminum. Prius tamen multorum precibus exoratus templum cathedrale adiit, sacrisque snmptis vestibus praeeunte episcopornm agmine, binis praesertim ad latns subservientibus, processit ad sacellnm ubi divinae Matris imaginem miraculis claram ac praecipua religione cultam prostare alibi dicebamus, eique coronam auream solemni prece sacratam capiti imposuit: ornamentum insigne, quod eiusmodi imaginibns quocunque sint loco soli, veteri suo iure, solent decernere basilicae vaticanae canonici. Sacram caeremoniam clausit pontificia benedictione ac plenaria, ut loquimnr, indnlgéntia quam ad octo dies eam imaginem pie venerantibus relinquebat. Hinc ne quem e suis contribulibus insalutatum relinqueret, parthenonis septum circumiit et ubique sacratas Deo virgines ad pedis osculum peramanter admisit, in eo potissimum commoratus cui neptis eius lectissima femina, ut alibi diximus, praesidebat. Spectatum post haec iit eum urbis locum, in quo publicam bibliothecam patriae suae commodo ac litterarum incremento excitari iusserat. Longa demum circuitione peracta, rediit suam in domum ac denno episcopos in colloquium excepit. Per haec hora cum fluxisset diei nndevigesima, consanguineis et affinibus complorantibus ultimum valedixit, perque effusas populi acclamationes exivit urbe atque Ariminum iter intendit. In hoc tamen ipso actu nltimo commorationis suae videre licuit quanta eius esset erga omne genus civium suorum caritas et benevolentia. Nam cum praeter parthenonem cappucinici nominis veheretur, ne sacras virgines aspectu suo ac benedi-

ctione fraudatas relinqueret, iis potestatem e suo septo egrediendi fecit atque in genua longo ordine provolutis amantissime benedixit. Ariminum paulo post horam vigesimam tertiam attigit, delatusque recta est ad coenobium canonicorum lateranensium ubi hospitium ut ante sumere constituerat. Ibi eius ordinis generalem praesidem, episcopum, magistratum, totam denique urbis nobilitatem obsequium profiteri gestientem reperit. Quibus perhumaniter salutatis, in coenobii interiora se intulit.

Ab Arimino sequenti die, iunii mensis quarta, Senogalliam discessit. At laboriosissima haec dies si qua alia Pontifici suos ubique populos demereri cupienti fuit; prius enim quam urbe excederet, divinae cum adstitisset rei clerum utrumque atque utriusque sexus nobilitatem ad osculum pedis excepit. Venit inde ad publicum civitatis palatium, atque e podio solemnem benedictionem populo confertissimo impertiit. Et continuo cum suo comitatu se dedit in viam. Ex itinere divertit ad Catholicam (vicus est perexiguus sed nominis memorandi ob conventum episcoporum, qui olim e concilio arianorum ariminensi secessionem fecere atque hic fidem catholicam proclamantes convenere), atque ad ecclesiam loci curialem exscendens divinam Hostiam in altari propositam adoravit. Duae post haec succurrebant modico intervallo urbes Pisaurum ac Fanum. In utraque exscendit e curru atque e loco superiore populo benedixit. Quae res utpote utrobique cum apparatu, cum episcoporum, praesidum, magistratuum ac nobiliorum interventu facta, utrobique necessitatem Pontifici imposuit habendi fere perpetuo pedem ad occurrentium oscula expositum. Senogalliam sesquihora ante solis occasum tormentis bellicis ab arce salutatus attigit, et continuo in coe-

nobium servitarum, ut ante, se intulit. Exscendentem urbis episcopus cardinalis Onoratus excepit. Aderat archiepiscopus urbinatensis cum aliis pluribus circumpositae regionis episcopis, quibus post paulo se adiunxit Urbini praeses Livizanus, huc ab Pisauro Pontificem ut in locum suae iurisdictionis secutus. Pontifex post modicam quietem apud se captam, cardinalem primo, deinde Livizanum, postremo episcopos introduci iussit ac vario cum singulis producto sermone diem clausit. Mane postero, post datam in aede Martini missae sacrificio operam, collectam in sacrario utriusque sexus nobilitatem ad osculum pedis admisit. Inde currum ingressus seiugem episcopi cardinalis, eodemque secum assumpto cardinali, novum quod extruebatur cathedrale templum et puellarum orphanotrophium et recens invecta opificia invisum iit. Cumque inde ad veterem quoque aedem cathedralem venisset, ibi clero pedem exosculandum praebuit. Postremo in arcem maiestatem intulit, operibusque atque omni militari copia diligenter inspecta, praefectis ad osculum pedis admissis, magno in primis opere collaudata comitis Antonelli qui ibi rerum potiebatur administratione, in coenobium se retulit. Vrbs ea est non munita solum, sed ob maris propinquitatem et in mare procurrentem amnem qui interluit ac veluti portum efficit commerciis exercendis maxime opportuna, eaque propter, licet haud ampla circuitu, toto eo die Principem providentissimum rebus cognoscendis occupatum detinuit.

Postridie quae dies erat sexta iunii, Anconam discessum est, urbem haud paulo ampliorem, quae et arce praemunita et portu nunc quidem multarum navium capaci tutoque gaudet; et picenae orae emporium est maximum. Vix conspecti ab arce currus pontificii, cum inde reboare tormenta coepere

quibus e portu maioris formae navigia ac propugnacula responsabant. Pontificem ingredientem excepit fragor aeris campani quod e cunctis templorum turribus personabat. Vias anconitani vario peristromatum genere ornaverant, milites directis ordinibus sepiebant. Perpetua ubique populi ac laeta acclamatio, donec ad aedes episcopi, ibi enim Pius hospitari decreverat, ventum est. Ad fores inventus episcopus cardinalis Buffalinus cum praetore urbis Gazolo, magistratu, clero ac magno patriciorum agmine in genua provoluto, quibus Pontifex perhumaniter salutatis in interiora se intulit, et vix modica quiete capta, cardinalem primo deinde quem supra dixi Livizanum (is enim hoc medio tempore ab Senogallia supervenerat) postremo Gazolum urbis Gubernatorem introduci iussit et singulos longo ac familiari sermone detinuit. Edoctus interea advenisse ab usque Roma Balthassarem Quinonium dominicani ordinis magistrum generalem et admissionem petere, hunc etiam continuo iussit admitti, et praeter hunc denique Marchionem Sperellum Mancinfortum armorum in provincia praefectum, nec alteri cuipiam eo quidem die aures praebuit. At die postero prope totum se divisit in publicum. Principio divinum sacrificium sibi publice peragendum statuit in aede Cyriaci, quae urbis primaria atque ut loquimur cathedralis. Ea praecelso in monte sedet seu verius promontorio, cui olim Erumero nomen. Adiacet sedes episcopi propria et mari imminet, sed hic Buffalinus certis de causis non habitabat. Illuc igitur curru seiugi cum ipso Buffalino se contulit, atque in ara maxima rem divinam populo innumerabili spectante confecit. Descendit inde in subterraneum sacellum, et Cyriaci corpus quod incorruptum servatur pie veneratus, transiit in domum episcopalem ac totum eius eccle-

siae sacerdotale collegium aliosque bene multos ad osculum pedis excepit. Hinc rogatu magistratus processit ad palatium publicum civitatis, ubi praegrandem ei statuam habitu benedicentis erexerant, asceuditque amplam in aulam, quo videlicet iam ex condicto convenerant nobiles tum anconitanae tum e vicinis urbibus appulsae feminae, quae pedem pontificium osculari cupiebant, atque omnibus in solio considens osculandi copiam fecit. Quo facto progressus ad podium quod fuerat eum in usum eleganter ornatum, solemni ritu populo benedixit. Plura post haec ac ferme celebriora urbis templa invisum iit. Qua ex circuitione dum redit domum, conspicatus latam ante praetorium aream populo confertissimam illuc ascendit atque iterum populo ex eminenti podio benedictionem impertiit. Atque haec ante prandium. Devexo in vesperam die rursum processit in publicum descenditque una cum Buffalino ac frequentissimo nobilium comitatu ad mare, ac nova primum portus opera quae iussu eius magno molimine producebantur inspexit. Post phaselo exceptus ornatissimo, aliis sequentibus magno numero cymbulis atque undique tormentis perstrepentibus aut lituis militaribus personantibus, traiecit ad xenodochium eximii itidem operis aedificium partesque eius omnes diligentissime perlustravit. Reversus demum occiduo sole domum, inter cardinalem episcopum Buffalinum aliosque paucos e selectioribus diem magna sua voluptate clausit. Prospexit enim e fenestris nocturno tempore non modo urbem universam ut pridie ante luminibus collustratam, sed mire ludentes in ipso mari ignes festivos, quippe molem eum in usum artificiose confectam in salo sustentantibus navibus.

Sequebatur dies iunii octava, qua die cum non esset Lauretum praetergressurus, quod trium summum quatuor horarum est iter, quasi aegre amantissimam civitatem desereret, discessum ultra meridiem distulit. Quantum porro gaudii anconitanis attulerat veniens, tantum moeroris et desiderii discedens reliquit. Lauretum nondum praecipiti sole attigit, et continuo obviam habuit episcopum auximensem Calcagninum cardinalem, quem alii plures provinciales episcopi praeter urbis Gubernatorem et magistratum et nobiliorum ingentem numerum sequebantur, hisque deducentibus palatium pontificium subiit. Nec ita multo post ad colloquium admissis cardinali primum deinde episcopis ac Gubernatore, in interiora conclavia soli vacaturus sibi se recepit. Sequenti vero die, iunii mensis nona, descendit in templum quod, amplum licet, angustum eo die pro populi multitudine apparuit, ac rem divinam in ara Virginis annunciatae fecit atque alteri sacrificio suo more adstitit. Regressus inde in palatium, exultantem sui Principis aspectu multitudinem e xysto laetiorem solemni benedictione fecit. Nec ultra moratus, iterum se dedit in viam Tolentinum versus. Haud longum solo spatio erat hoc iter, sed tot se interposuerant morae, ut diem prope totum occupaverit. Recinetum ut venit, urbem Laureto proximam, praefixam portae uncialibus litteris reperit inscriptionem, quae felicem ab Germania reditum intranti gratulabatur. Et paulum intra urbem cum processisset, subter arcum triumphalem cum statuis, emblematibus et inscriptionibus sibi eleganter erectum transire coactus est, quas res, ut se gratum ita erga se affectae civitati praeberet, adspexit exscenditque ad aedem cathedralem, atque ibi paulum ante divinam Hostiam in altari propositam commoratus, inter

faustas populi acclamationes abscessit. Occurrebat haud longo intervallo secus viam Macerata urbs picenae provinciae auctoritate princeps. Nec eam ipse tamen introiit. Sed ut obviam effusae nobilitati pedem pontificium exosculari cupienti faceret satis, in proximum collegium presbyterorum, quos a Missione nominant, ultro se intulit ibique moram nonnullam traxit. At nullibi maior mora nec gratior, quam inter Maceratam et Tolentinum, millia passuum haud amplius duodecim. Praedium ibi est amplum atque frugiferum fisci pontificii, Huranciu.n vocant, quod perpetua locatione utendum acceperat ab ipso Pio Marchio Alexander Bandinus, vir inter camertes opibus nobilitate atque adeo morum probitate praeclarus. Novi ego hominem coniugemque eius Christinam masculae virtutis feminam. Is ergo ea transiturum via cum sciret Pontificem ita de se meritum, ei tantisper ex itinere recipiendo reficiendoque domum opere subitario extruxerat et materia, haud magno illam quidem ambitu, sed ut in agro sat commodam et structurae forma visendam, eamque necessaria supellectili ad omnem nitorem ac magnificentiam instruxerat. Neque id satis. Complanato ante domum solo, imputatisque tonsis ac distributis in areolas ac topiaria buxo ac myrto, nec non pluribus mali assyriae vasis hinc atque hinc apte dispositis, hortum itidem subitarium insigni cultu condiderat cum amoenis ambulatiunculis, quae oblectando Principi viderentur idoneae. Postremo lautam comessationem ex omni exquisitiore edulio cupediisque paraverat. In hunc porro hortum patebat ingressus per arcum eximiae magnitudinis ac sumptuosum, in quo summo inscriptio ad facti memoriam legebatur incisa marmori in honorem Pii. Qui huc ut advenit, non modo intro maiestatem inferre non

recusavit, sed horas aliquot cum Bandino hilariter admodum iucundeque traduxit, donec actis pro tam splendido diversorio gratiis, porro progredi Tolentinum usque perrexit, atque in augustinianae familiae coenobio, ut ante, cepit hospitium. Huc Pontificem ex Germania redeuntem veneraturi praecesserant plures cum Archiepiscopo Firmano Episcopi, quibus ille audiendis benigne aures accommodavit, donec paulum apud se commoratus cubitum se recepit. Mane postero, quae dies erat iunii decima, per ardua ac confragosa Camerini iuga Fulginiam directum est iter. Prius tamen sacrum coram se fieri Pius iussit in sacello Nicolai Tolentinatis, ac sacris eius ossibus pium fixit venerabundus osculum. Tum coenobitis in sacrario et nobilibus quibusdam feminis pedem osculandum praebuit. Postremo ad publicum palatium transgressus, inde populo solemniter suo more benedixit. Vt ventum ad confinia Ducatus Camerinensis (Valcimarram appellant) arcus triumphalis apparuit cum accommoda inscriptione in honorem redeuntis ab Germania Pii, simulque affuere quatuor Camertium Legati, et Pontifici obsequium suae civitatis nomine detulere. Id ipse grato accepit animo, neque dubitavit vicinam in domum transgredi atque id ipsum verbis humanissimis testatum facere. Continuato deinde itinere, ad alterum vallis confinium cum pervenisset (Serravallio est nomen), ibi episcopum Camerinensem, Gubernatorem urbis, magistratum, Cleri Legatos et magno numero viros nobiles praestolantes, atque obsequium praestare cupientes reperit. Quibus ut satisfaceret, qua erat benignitate Princeps, alteram introiit domum proximam ac singulos ad pedis osculum perquam clementer admisit. Dein populo qui item aderat frequentissimus be-

nedixit ac per devexum abruptumque Appennini iugum delapsus in Vmbriam, Fulginiam multo adhuc sole attigit. Paratum illi fuerat, ut ante, hospitium in augustinianorum coenobio. Sed quale ac quantum invenerit in ipso coenobii aditu praestolantium agmen vi credibile. Aderat ante omnes cardinalis Antamorus episcopus Vrbevetanus nec alia causa huc usque ab sua sede venerat quam ut Pontifici maximo, cuius beneficio amplissimam dignitatem erat adeptus, debitum gratulationis officium persolveret. Aderant praeter urbis proprium episcopi Perusinus, Nucerinus, Eugubinus, Civitatis Plebanae, Tudertinus, Asisiniensis. Aderant Urbis veteris, Perusiae, Tipberni, Fabriani, Nursiae, Hispelli Gubernatores, ut nihil dicam de Fulginatensi Magistratu ac toto nobilium ordine. Pius omnibus sed cardinali potissimum humanissime salutato intulit se in coenobium et paulo post cardinalem in colloquium admisit. Dein episcopis viritim omnibus et Gubernatoribus aures dedit. Operosa civitas Fulginia est sed cerarium maxime opificium exercet. Itaque ea nocte ardentibus e cera facibus urbs fere tota colluxit.

Postridie mensis iunii die undecima Pontifici deliberatum erat pervenire Narniam. Prius tamen quam Fulginia excederet tum solemnia religionis absolvit in aede coenobii, ubi sacrum eo praesente celebratum est, tum usitatam benignitatem exercuit in sacrario ubi multos, e nobilibus praesertim feminis, ad osculum pedis excepit et postremo vectus ad palatium publicum, inde populo benedictionem elargitus abscessit. Post millia passuum fere sexdecim occurrebat Spoletum urbs Vmbriae nobilis atque praeclara, quam olim ab Annibale frustra obsessam Livius tradit. Dum in urbem in-

vehitur, per portam quam etiamnunc fugam ab Annibale fugato denominant, obviam processere duo cum Gubernatore Legati ex nobilioribus civitatis qui sui communis obsequia deferebant. Aedes Spoleti sunt peramplae Colligularum, qua ex gente cum esset Ioannes Baptista maximus, ut appellant, aulae pontificiae praecursor, is de industria profectus ab urbe Roma eas ad excipiendam vel ad tantulum temporis maiestatem principis instruendas, in primisque lautum ex omni delicatiore cibo symposium adornandum curaverat. Illuc ergo Pontifex devectus est. Dum vero parat e curru exscendere, occurrentes ex nec opinato videt Romualdum Onestum Braschium et Antonium de Auria, illum nepotem ex sorore suum et pontificiae domus praefectum, hunc admissionum magistrum, qui una venerant huc usque ab Vrbe, tum ut optatissimum Principem tanto post intervallo reviserent, cum ut mandata eius exciperent. Et iis proxime adhaerebat, quem supra nominavi Ioannes Baptista Colligula. Eo aspectu Pius maiorem in modum est delectatus. Aderant praeter hos urbis episcopus, Magistratus, clerus et patriciorum ingens numerus. Ipse per medios vadens, grandem primum aulam ingreditur, ubi laeta symphonia personabat. Et erat orchestra ipso structurae artificio visenda, omnes eodem et eleganti vestitu symphoniaci. Trangressus inde in interiora cubicula, ibi plurimum temporis familiariter inter romanos advenas posuit, in quibus fuit Colligulae uxor Marianna Caffarella cum liberis. Demum totam utriusque sexus nobilitatem et ecclesiasticos viros ad osculum pedis excepit. In digressu rogatus a Colligula, ne gravaretur multitudini, quae circa domum confluxerat, benedicere, ultro processit ad fenestram eum in

usum egregie ornatam ac populum spoletinum pontificia benedictione laetum reliquit. Continuato dehinc itinere Interamnam venerat, splendidam olim urbem, et adhuc aedificiorum reliquiis in primisque celebri Velini amnis lapsu conspicuam. Dum mutantur equi affuere episcopus, Magistratus ac nobilitatis primores et sua Pontifici obsequia detulere. Ipse gratum habuit officium, nihil tamen moratus, festinavit Narniam usque progredi, quo inclinato iam die pervenit. Hospitium ibi cepit suo more apud dominicanos. Et forte huc usque ab Ancona praecesserat ordinis summus Praeses Quinonius et Pontificem in coenobii limine cum sua familia opperiebatur. Aderat et narniensis episcopus cum clero ac nobilioribus civitatis. Pontifex in interiora deductus, Quinonium post paulo et episcopum admitti seorsum iussit eosque apud se ad horam vario sermone detinuit. Ecce autem adulta iam nocte rursum in conspectu Braschius et Auria qui Romam citato cursu properabant. Sed eos Pontifex brevi dimisit.

Sequenti die iunii duodecima praestituta profectio erat nec ultra Fescenniam (civitatem Castellanam appellat vulgus) urbem vix trigesimo ab urbe sitam lapide. Modica itaque haec erant itinera, nec properato erat opus. Nullam tamen iacturam temporis Pontifex faciebat. Prius quam Narnia discederet, divinam Hostiam proponi palam iussit in aede cathedrali, ad eamque progressus et sacro interfuit et solemnem benedictionem accepit. Intulit deinde se vicinas in aedes episcopi ibique sacerdotale collegium itemque plurimos tum religiosorum tum nobilium ad osculum pedis clementer admisit. Postremo e fenestra, quam concinne adornaverant, populo benedixit. Atque omni praecisa mora ex iisdem aedibus con-

scenso curru per viarum ardua venit Otriculum. Ibi ut ante me dicere memini, cum constaret nobile extitisse olim municipium Romanorum, multa ipsius iussu effodiebantur antiquitatis monumenta, statuae, columnae, tripodes, inscriptiones, musiva atque his similia, quorum deinde selectiora in musaeum vaticanum inferebantur. Haec ipse omnia inspicere diligenter voluit. Et opportune ab urbe advenerat Franciscus Carrara, congregationis quam vocant concilii a secretis, istarum rerum apprime intelligens vir, cuius consilio aliae atque aliae effossiones iussae designataeque sunt. Per haec magna diei pars fluxit. Itaque civitatem Castellanam nisi devexo iam sole non attigit. Vrbem tormentis ab arce salutatus intravit et continuo ad aedes Androsillarum, ubi paratum illi erat hospitium, devectus est. In ipso aedium aditu inventus urbis episcopus cum Marchione Angelo Androsilla et magistratu aliisque ex nobilioribus. Aderant praeter hos novus pontificius auditor Campanella itemque novus promotor fidei Erschinius, quippe his honoribus recens aucti huc usque ad agendas Principi ita de se merito gratias venerant. Hos omnium primos admisit Pontifex, deinde episcopum, postremo Androsillam, attinuitque incredibili omnes benignitate, donec salutatorium occludi cubiculum iussit.

Illuxit tandem dies iunii mensis tertia decima qua Pius Pontifex die longam peregrinationem absolveret atque urbi maiestatem quasi postliminio redderet. Mane eius diei nihil praetermissum est usitati. Data primum sacerdoti litanti opera in templo cathedrali, deinde in domo episcopali canonici ad osculum pedis admissi. Populus demum ex edito pontificia donatus benedictione. Et continuo Romam versus iter

fieri coeptum est. Ariniani quod oppidum feudale est nobilissimae gentis Caesiae, inventus conspicuo loco arcus triumphalis structurae perquam magnificae, quem in honorem Pontificis transeuntis erigi iusserat Ducissa loci domina. Et aderat ipsa cum filio, ut obsequium per se Principi testaretur. Eam sibi ad pedes accidentem humanissime Pius excepit ac verbis amantissimis compellatam dimisit. Nec admodum abrupto cursu porro ire perrexit ad primam quam vocant, portam, stationem longi itineris ultimam atque urbi proximiorem. Ibi exscendit e curru inclusitque se vicinam in domunculam quam summus earundem stationum in pontificia ditione praefectus Marchio de Maximis apte ornandam curaverat. Supervenit interea Philippus Columna magnus regni Neapolitani, ut loquimur, Comes stabuli, utque patriciorum dignitate caput sua simul et romanae nobilitatis obsequia gratulationesque detulit. Vna Fabricius eius frater Avellae princeps venerat. Vtrumque Pius perquam clementer accepit attinuitque, dum visa congruens est iusta hora, cum demum praeeunte quem dixi Marchione de Maximis, in urbem iter direxit. Vt ventum ad pontem Milvium adhuc plus mille passus ab urbe procul ab arce adriana tonare aenea tormenta coepere: simul inventi duo cardinales Albanus totius sacri collegii decanus ac Leonardus Antonellus primus inter patres cardinales quos Pius creaverat adlectus. Hi officii causa Pontifici obviam veniebant. His namque unis id ipse permiserat, ceteris idem cupientibus praecise vetuerat. Cumque ibidem essent in promptu usitati currus pontificii cum consueta tum levis armaturae equitum, tum loricatorum custodia, nobiliorem in currum transgressus unaque secum

assumptis binis quos dixi cardinalibus, sequente aulicorum longo comitatu, cui ad portam flaminiam peditum helvetiorum custodia se adiunxit, urbem aliquando tandem intravit atque ad templum vaticanum recta devenit. Iam quanta exsultatione ac laetitia revertentem acceperint Romani Pontificem dici vix potest. Eius revisendi studio prodierunt extra urbem frequentissimi ad multa passuum millia ac vias omnes magnis agminibus obsidebant. Multo maior intra urbem concursus. Laetae undique acclamationes, undique consonae felicem faustumque reditum ac sospitatem gratulantium voces. Vtrum tanto plausu laureatos olim acceperint Imperatores nescio. Aderat in templi vestibulo cardinalis Archipresbyter Dux Eboracensium cum suo sacerdotali collegio, et venienti gratulabundus occurrit. Eum Pontifex arcte complexus ceteris humanissime salutatis ad aram eucharistici Sacramenti processit primum, deinde ad tumulum divi Petri ac brevi utrobique precatione adhibita, actis Albano atque Antonello gratiis, per scalam constantinianam in palatium ascendit. Iam tota aulicorum turba convenerat praeibatque. E proximo duo quos nominavi praesules Braschius et Auria comitabantur hisque alter Pontificis ex sorore nepos Ludovicus Onestus Braschius se adiunxerat. Priusquam ad pontificiam habitationem venias, aula occurrit ingens necessario praeterennda. Ibi venientem expectabant officii praestandi causa cardinales quinque Carolus Rezzonicus S. R. E. Camerarius (sic enim appellant), Columna Pontificis in urbe Vicarius, Boschius maior poenitentiarius, Gerdillius et nuperrime in collegium adlectus Mattheius. Ab eadem causa in uno ex interioribus cubiculis expectabant cardinales alii

quatuor, Pallaviciuus rerum admiuister primarius, de Comitibus diplomatum, Io. Baptista Rezzouicus supplicum libellorum magister, Nigrouus prodatarius. Grato Pius animo atque hilari vultu excepit omuium officia, atque omnibus cum gratiarum actioue dimissis in sua cubicula se recepit. Binis proxime consecutis noctibus legati principum exterorum, testaudae causa laetitiae, festivos ignes ac fuualia prae suis aedibus incenderuut. Idem ue facereut honestiores quique Pius inhibuit.

Explicit Liber Tertius.

LIBER QVARTVS

Quid tandem ad rei summam Viennae confecerit Pius sextus adhuc est in obscuro. Sane ipse tertio post reditum revertente mense, primum cum habuit coetum cardinalitium dum peracti itineris rationem reddit multa de Iosephi Caesaris praestanti ingenio deque profusa erga se liberalitate disseruit; at ad negotia quod attinet quorum causa tantam peregrinationem susceperat, ea leviter admodum ac perfunctorie attigit, illud tantum generatim affirmans se fere quotidie cum eo libere familiariterque tractasse et quaedam eaque gravia ab eius aequitate retulisse, quorundam vero si non exitum at spem non mediocrem secum reportasse, quae qualia essent non aperuit. Cum tamen interea Caesar semel coeptis nihilo secius insisteret pergeretque uti prius ecclesiae opes invadere et coenobitas et sacratas Deo Virgines subinde a suis septis extrudere atque his similia quae iam ante fixa animo ac deliberata habebat libere exequi, neque his rebus Pius vel tantulum commoveri videretur, inde multi coniectabant aliud nihil Pontificem in iis congressibus obtinuisse, quam ut prin-

ceps male animatus ad atrociora ne prorumperet, id quod lucro apponi pro ea temporum perversitate oporteret. Super haec multi suspicabantur evenisse quod saepe inter patrem et filium, ut patre benigno potentior filius obstinatus sit; Pontificem videlicet cum expugnare Caesarem atque a susceptis consiliis removere non posset, multa ei ecclesiae legibus vetita permisisse eaque fieri cum bona sua venia quam cum aperto suae potestatis contemptu maluisse. Ceterum ipsi cum Caesare optime convenire.

Sed iam dum haec scribimus casus momenti gravioris intercidit cum et indulgentiam adhibendam Pius censuit et pontificiam auctoritatem Caesar palam interponere coactus est. Quid id fuerit nos breviter memoriam temporum exponendam suscipimus. Iam ante Caesar ut supra dicebamus Pium rogaverat de iure quod vocant nominationis ad omnes episcopatus, qui sunt in Insubria ditionis Austriacae, cumque roganti Pius se difficilem praebuisset contendere coeperat id ius sibi deberi pro potestate principis ingenitumque regio dominatui esse. Sic nempe eius administri ac theologi statuebant. Anno post haec nondum evoluto cessit e vita Iosephus Cardinalis Puteobonellus archiepiscopus Mediolanensis et continuo Caesar, velut iam explorato ac certo principis iure, successorem elegit virum alioqui dignissimum Philippum Vicecomitem, et electionem deferri ad Pontificem utique adprobandam eius auctoritate ac promulgandam iussit. Ea res graviter perturbavit Pium atque in utramque partem angebat. Sive enim electionem haberet ratam, res pessimi erat exempli ac sua deinceps antiquissima possessione sedem Apostolicam ipse spoliabat; sive approbationem negaret, Caesarem irritabat et forte episcopum schismaticum ultraiectino simi-

lem ferre in Italia cogebatur. Interea consilii anceps deliberationem sustinebat, donec spes aliqua negotii componendi affulgeret. Ecce autem nec opinato in Italiam atque adeo Romam ipse Caesar venit salutaturus ut aiebat Pontificem in sua sede eique vicem pro Viennensi itinere redditurus. Paucos ibi dies mansit, quibus diebus Pium fere quotidie conveniens cum eoque amice ac familiariter agens facile impetravit ut electionem pontificia auctoritate confirmaret, non prius tamen quam ipse Caesari facultatem eligendi liberali quadam indulgentia contulisset. Ita deinde confirmavit ut electio non proprio principis iure sed pontificia concessione iusta haberetur idque ipsum publicis litteris consignaretur. Has praeterea conditiones imposuit ut Vicecomes Romam perinde ac ceteri Italiae episcopi accederet, usitato examini se subiiceret, nec ante se pro episcopo gereret quam eo nomine compellatus in consistorio fuisset. Quae quidem omnia Caesar, ut nullus aderat Caunitzius qui tractationem interverteret, ultro ac libenter admisit. Atque ita prorsus, uti cum magno utriusque partis assensu convenerat, factum est, nisi quod legem de examine subeundo Pius aptissimo artificio temperandam duxit, ipso Vicecomite inter episcoporum examinatores adlecto qui proinde cognoscere de aliorum doctrina, non suae rationem reddere deberet. Hoc exitu gravis est contentio composita graviores in ecclesia turbas paritura nisi sibi quiddam Caesar et Pontifex invicem condonassent.

Ceterum ut aliqua velut divinando perstringam (nam rem ipsam acu tangere nemo fortasse queat), nemini ne Principi quidem nisi ex publica causa licere rem alienam invadere sibique adrogare, extra dubium est. Documento esse potest, si desint cetera, inflicta divinitus poena Achabo Regi

familiaeque eius ob interceptam ex libidine vineam Nabothi. Quod si res Deo sit consecrata eam qui suo arbitratu interceperit et snam fecerit, quisquis ille sit et qnacunqne dignitate praefulgeat, furto sacrilegium adiungit et insuper anathemati snbiacet Concilii Tridentini decreto, non absolvendus nisi a Pontifice Maximo cum restituerit. Idcirco mos tenet inter catholicos principes nt, cnm publica aliqua atque extraordinaria necessitas postnlat, Pontificem velut supremum rerum einsmodi administratorem aut dominum suppliciter rogent de subsidio ecclesiastico quod quidem facile pro necessitatis magnitudine concedi solet, non aliter tamen quam per pontificios oeconomos exigendum. Clerus vero Gallicanus de suis proventibus decernere ex veteri privilegio solitus, ipse sibi imponit eam pecuniae vim quam regi poscenti pendat, neque eam inferri regium in aerarium patitur nisi doni gratuiti nomine. At Iosephus Caesar novis imbutus opinionibus pro certo sumens se solo principis iure posse de bonis ecclesiae statuere, novo prorsus exemplo (nisi forte imitatum dixeris exemplum Valeriani Imperatoris qui sanctissimum levitam Laurentium ob negatos quos sibi debere existimabat ecclesiae thesauros igni damnavit) coenobia, ut ante diximus suis opibus spoliabat, vasa sacra templorum aurea et argentea intercipiebat, ipsa coenobitarum ac sacrarum Virginnm aedificia occupabat atque alios in usus convertebat atque his similia pro arbitrio, nullo pontificiae potestatis respectu, inceptabat ac citra flagitinm fieri a se posse persuasum babebat. Pius ergo satis intelligens hanc ei opinionem eximi haud facile posse, id, ut opinor, nec poscenti concessit quod aliis principibus non conceditur nisi poscentibus, nt nempe de rebus coenobitarum ac sacrarum Virginum pro sua aequitate statueret, quibusdam

tamen impositis conditionibus atque illa in primis ut quaecumque cepisset sacrata Deo bona pios dumtaxat in usus verterentur. Id ita esse mihi persuadet primum quod video ditiora hactenus coenobia Caesaris iussu suppressa pauperioribus partita. Nec enim aliter inveniebatur quo magnae utilitatis opera Reipublicae bono conficerentur. Deinde quod vere post illud tempus Caesar multa confecit publice utilia atque humano generi salutaria quae satis laudari non possunt. Pauperum egestati sublevandae fundos in perpetuum addixit, nova clericis instituendis seminaria aperuit, parochorum inopiae providit atque his similia quibus conficiendis rebus cum ecclesiae pecuniam impenderit ea certe melius collocari non poterat.

Num tamen ob eas res supprimenda viderentur hominum religiosorum coenobia adhuc est in incerto nec facile definiendum. Certe inutiles ac nullius frugi eos appellare mortalium qui piis tantum meditationibus in solitudine ac silentio vacant et avertere caelestes iras assidua precatione student, hoc inquam qui ex vitae instituto faciunt eos hominibus inutilibus et ineptis adscribere impium est. Vt omittam Antonios, Hilariones, Macarios, Brunones aliosque sanctissimos viros quos quidem nemo nisi forte impius quisquam huius seculi philosophus nullius frugi fuisse dixerit, illud de Moyse memoriae proditum est quod *cum manus in coelum tenderet vincebat Israel; sin autem paululum remisisset superabat Amalec;* quo exemplo sacrae nos docent literae plus interdum prodesse reipublicae qui pias preces pro populo ad Deum fundunt quam fortissimos bellatores qui in acie decertant. Quo minus mirandum superiorum temporum principes cum maior in Deum pietas, nihilo minor publicae felicitatis

cura, tot eiusmodi coenobitarum domicilia de suo fundasse ac large dotata reliquisse. Magnum videlicet sibi ac populo constitutum praesidium existimabant, cum multos apud Deum deprecatores interposuerant. Iam vero huius generis coenobia ad placandum Deum, ad tuitionem salutis publicae instituta utrum utiliorem in usum converti possent, prudentes piique iudicent viri. Atqui praeter haec alia ac multo plura suppressa sunt ex eorum genere in quibus ad quotidianam orandi psallendique exercitationem laborem actuosae vitae adiungunt coenobitae. Ex his autem siquidem propriis stabilibusque se sustentent fundis, multae magnaeque manant in publicum utilitates quas forte nova Iosephi Caesaris instituta quamvis sapienter atque optimo proposito excogitata exaequare non possint. Principio humanas divinasque literas pro suo quisque modo coenobitae condiscunt omnes atque cultiores ferme sunt cuiusque civitatis, frequentari proinde soliti consilii causa in rebus dubiis et serendae paci tollendisque dis ensionibus uni omnium maxime idonei. Alii deinde iuventutem aut humanis litteris aut christianis praeceptionibus excolunt, alii divini verbi sementem faciunt in templis, alii ut minimum confessionibus excipiendis sacrisque ministrandis operam navant. Eadem, inquies, alii facient. Scio. At multum interest ad agendi sedulitatem ac diligentiam utrum quis ex pio vitae instituto laboret an tantum ex praescripto Principis; utrum spe praemii sempiterni an solum hac tenui fluxaque mercede ductus. Quid quod hanc ipsam mercedem fore perpetuam praestare nemo velit? quid enim si bellum ingruat? quid si exhaustum aerarium sit? quid factu facilius quam ut momento dissolvantur ac concidant quaecumque Io. ephus in commune bonum providentissime constituerit?

Fac etiam ad perennitatem perdurent. Religiosorum quae dixi coenobia non solum per se perpetua sed hominum honestiorum opportuna perfugia et quaedam uobilium familiarum veluti levamenta sunt ut publicum beneficium dici non immerito possint. Et vero quam multi claro illi quidem loco sed in tenui fortuna nati qui si domi viverent suae propter conditionem natalium impensam assiduam nec mediocrem poscerent, his inclusi coenobiis, non honeste solum sed commode sed hilariter nullo suae gentis impendio vivunt! student etiam litteris interdum, clarescunt et quandoque ad infulas aut etiam ad eminentiores ecclesiae dignitates evadunt! quid his, quaeso, fiet posthac si coenobia eiusmodi ex toto occludantur? militiam inibunt, inquies; e stipendio vivant sibique laudem virtute pariant. At quid si desint vires? quid si resistat ingenium? si demum uolint? adeone servum pecus homines sumus ut servire vel inviti debeamus?

Fateor equidem labente tempore coenobitarum opes excrevisse. Quid vero inde? largitiones gratuitae piorum sunt qui ita de rebus suis statuere ad cultum Numinis voluere. Hae si caste integreque administrantur opes, si profanum in usum non vertuntur, cur adimantur coenobitis quasi haud satis bono iure tradita sibi bona possideant aut ius melius cuipiam in ea sit? quid deinde si ea ipsi bona diligentiore sterilis soli cultura, quod saepe factum cernimus, ad tantam opulentiam perduxere? cur fructu laboris et industriae suae frui prohibeantur? quid demum si proventuum magnitudini par coenobitarum numerus alitur? quo plures aluntur eo maius provenit beneficium laicis. Nemo enim, ut puto, nascitur in coenobiis; filii laicorum Coenobitae sunt et laici ipsi olim fuere sumptu paternae domus alendi nisi fuissent in

coenobio recepti. Quo magis miror esse e laicis qui contra opes coenobitarum tantopere declament quarum ipsi participes in primis liberique eorum sunt. Sola itaque opulentiae causa supprimi oportere hominum cetera utilium collegia nunquam mihi persuadebitur. Imo quo opulentiora sunt, eo magis arbitror interesse reipublicae ut inviolata serventur. Quod prudens quisque fateatur necesse est, paulum si expendat quem habeant usum divitiae apud laicos, quem apud coenobitas. Hi certe non cantatrices, non saltatrices, non lupas ut laicorum bene multi nutriunt. Non alea, non spectaculis, non insanis comessationum sumptibus acceptum a maioribus conterunt. Frugalis eorum victus, vestitus decens at facile parabilis ac minime sumptuosus. Si quid superfluit, vel in ornamenta templorum vel in subsidia pauperum conferunt. Quodque in primis notari velim nihil apud eos sive in cultu corporis sive in domestico instrumento peregrinum, nihil e longinquo advectum. Itaque quantum e praediis ac possessionibus redit, intra civitatem residet aut per provinciam pecunia diffunditur. Contra apud laicos si paulo ditiores sunt, sint quamvis probi beneque morati quam qui maxime, ut est hodie luxus, nihil nativum, nihil patrium. Ab exteris fere omnia petuntur ac magno pretio redimuntur. Fac quaeso solum indumentum excutias. Pileus ab usque Londino ad nos navigavit, pannus ab Hollandia, ab Belgio subucula, ab Neapoli tibialia, ab Parisiis annulus, horologium, fibulae ac theca pulveris Nicosiani. Domum deinde percurre et supellectilem expende. Pictae illae tabulae muris affixae ab urbe Roma sunt accersitae, peripetasmata e Flandria, linteamina a Silesia, textilia sive aurea sive serica e Lugduno, fictilia e Saxonia, ut nihil dicam de vinis Burgundensibus, Malacensibus, Cypriis. Ipsa adeo men-

sarum argentea vasa minus placent nisi fuerint elaborata Parisiis et manus artificis parisini in pretio ponitur. Quantum hinc pecuniarum emittatur extra patriam nemo non videt. Id autem utrum publicae intersit rei, boni cives et oeconomi viderint; atque ipsi iudicent an non satius sit manere opes in potestate coenobitarum quam ad profanas manus pervenire.

Dixi hactenus de iis coenobitarum ordinibus qui suis se sustentant opibus. Vt iam de iis quoque dicam, qui mendicato victitant, multas hi quoque magnasque habent utilitates, quae ad serendam in populo pietatem promovendumque religionis cultum pertinent, merito proinde multis locis admissi atque ubi sunt non retinendi solum, sed fovendi, tuendi ac beneficiis augendi. Ceterum non est existimandum, quaecumque nova gessit geritque Iosephus Caesar contra mores ecclesiae, mala per se esse. Quaedam etiam laudari merito possint, si modo legitima potestas intersit. Verum hanc si demas, etiam quae laudabilia sunt, crimini vertunt apud Deum. Rem sane piam atque laudabilem inceptabat ille Oza, de quo sacrae loquuntur litterae, cum ad sustentandam cadentem arcam foederis manum adiutricem admovit; quia tamen non erat de tribu sacerdotali, cui licebat uni sacrum illud pignus attingere, eum in ipso ausu Deus ultor subita morte multavit. Adeo multum interest non tam quid facias, quam quo iure ac potestate facias. At enim Iosephus Caesar, nescio qua praeiudicata opinione, totam ecclesiae administrationem, quam una cum regni clavibus Petro ac successoribus eius Christus Deus tradidit, existimabat in potestate esse Principis. Id illi Caunitzius aliique aulici assentatores, id pestilentes libri, qui tota impune vagabantur Europa, persua-

10

serant. Id ipsum aliorum Principum exempla recentiora probare videbantur. Namque ut omittam, quae viderat ipse domi sub pientissima parente sua Maria Theresia, de quibus affatim dictum est suo loco; ac ne frustra refricem quaecumque per causam Iesuitarum inflicta sunt ecclesiasticae potestati vulnera, sive in Lusitania, ubi non tam Rex, quam eius administer Sebastianus Carvallius rerum potiebatur atque omnia sacra pariter ac profana ad libidinem susque deque versabat; sive in Gallia ubi tum curia parisiensis Regis imperia per speciem obsequii contumaciter detrectabat et pontificia diplomata manu carnificis comburi iubebat; sive in Hispania, ubi pii Regis interiora consilia moderabatur Emmanuel Rodus vir aeque perfidiosus ac vafer qui insitum romanae aulae odium pietatis larva tegebat; sive demum in regno neapolitano, ubi Rege adhuc adolescente potens rerum omnium erat Bernardus Tanuccius, qui se Pontificis Maximi et Clementis XIII nominatim inimicum ac contemptorem palam et aperte iactabat: ut haec inquam omittam (notiora enim sunt, quam ut hoc loco repetenda videantur) unam modo rem in medium proferam ex qua capi de reliquis coniectura poterit.

Post mortem Philippi Borbonii Hispaniarum Principis, qui ditionem parmensem longo tandem bello ac multis belli cladibus obtinuerat (accidit ea forte mors hic ubi scribimus Alexandriae et civitatem inter varia oblectamentorum genera effusam improviso luctu complevit) in ditionem successerat Ferdinandus eius filius optimae indolis adolescens adhuc impuber; rem tamen publicam pleno iure administrabat Tilliotus nescio quis primarii Administri nomine. Homo erat is natione gallus ac suopte ingenio rerum novarum cupidus.

Itaque multa identidem decernebat non solum nova, sed ecclesiae legibus vetita, quibus libertas immunitasque ecclesiastica aperte laedebatur. His rebus graviter angebatur quem supra nominavi Pontifex Clemens XIII eoque gravius, quod impune agebantur in regione Sedis Apostolicae beneficiaria, pro qua antea Farnesii Pontifici Maximo velut supremo Principi annuum tributum pendebant. Ac primo quidem paternas de more admonitiones cohortationesque ut hominem ab eiusmodi coeptis deterreret, adhibuit. Minas deinde intentavit. Quasdam etiam honestae conventionis conditiones proposuit. At ad extremum, cum nihil proficeret, ne pessimi exempli malum supra remedium cresceret, telum pontificiae potestatis exercuit, promulgato diplomate, quo eum, qui adversus leges ecclesiae fecisset, iussisset fierique aut iuberi mandasset, poenas iisdem legibus constitutas incurrisse declarabat, proindeque sacrum ac solemnibus diris devotum pronuntiabat. Qua sententia, ut vides, nulla Ferdinandi mentio fiebat; solus ipsa re Tilliotus anathemati subiiciebatur. Id si cui aliis temporibus evenerat (et saepe eveniebat) quisquis ille erat, sive Rex, sive Imperator, acri dolore compunctus, ecclesiae fidem ac misericordiam implorabat, admissorum veniam rogabat, deprecatores adhibebat, satis demum facere pro delicto ac publicam subire poenam, modo in piorum coetum denuo reciperetur, minime recusabat. Exemplo esse potest, ut mittam ceteros, magnus ille imperator Theodosius, qui ob caedem iniustam Thessalonicae factam ab Ambrosio episcopo damnatus, templi aditu exclusus ac sacrorum communione privatus, octo ipsos menses in luctu ac squallore traduxit, nec nisi obtestationibus multis ac lacrymis post facta Praesulis mandata, ut rursum ad sacra participanda admitteretur im-

petravit. Ea tum reverentia sacerdotum iudicia ab ipsis excipiebantur orbis universi dominis. Quid vero nunc in negotio parmensi? Principio Tilliotus iniustum Pontificis iudicium ac contemnendum dicit ex tripode. Reus nempe contra iudicem sente tiam fert. Idem omni interiore nexu sna anctoritate se absolvit. Tum Rex Hispaniae Carolus eiusque filius Rex Neapolis, ille Ferdinandi Parmensium Ducis pa'ruus, bic consobrinus, suorum quisque ministrorum vocibus incitati, laesam in Ferdinando (cuius alioqui nomen suppresserat Pontifex) ac graviter vulneratam Borboniae gentis dignitatem clamant. Trahitur in partes ex pacto familiae Rex Galliae Ludovicus, utque in commnni causa tres potentissimi Reges atque apprime catbolici, velut iniuria lacessiti, non absolvi Parmensium Duc.m, sed revocari a Pontifice refigique diploma illud suum minaciter postulant. Perstante Pontifice postulata reiicere, Rex Galliae comitatum Avenionensem, Rex Neapolis ducatum Beneventanum, vi et armis invadunt exturbatisque militibus pontificiis, Praefectis ac Magistratibus exauctoratis, duo ampla ac pervetusta romanae ecclesiae patrimonia sibi ad iniuriam quodammodo redimendam vindicant iisque impune potiuntur. Adeo versae nunc res ac mutata tempora! An vero mutata etiam Christi religio? ecquid deleta ex evangelio aut salt'm circumscripta illa Christi vox *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis?* Exolevere iam, inquiunt, quaedam praeiudicatae opiniones, quae superioribus inoleverant seculis atque hoc demum aevo philosophico vetus est caligo discussa. Ego vero quid isti intelligant praeiudicatas opiniones cum dicunt, nescio; nisi forte eo tradncnnt nomine doctrinam patrum, conciliorum generalium decreta, ipsa evangelii dogmata: nec plane scio, quid dicturi

sint de Ambrosio sanctissimo illo doctissimoque ecclesiae mediolanensis Episcopo, qui in tali re suum sibi subdidit Principem; quid de Theodosio potentissimo illo orientis atque occidentis Imperatore, qui episcopo se subiicere eiusque mandata obedienter facere non dubitavit.

Sed iam locus ipse me admonet, ut quemadmodum antea promisi de his qui se dicunt philosophos ac nefarium bellum ecclesiae imprimisque Pontifici Maximo indixere pauca dicam. Facio equidem ac fidem libero meam. Eoque libentius facio quod nihil dubito quin tenebricosis eorum libellis lectitandis sensim ad deteriora inclinaverit Caesar, cum maxime indoctis fucum faciant, et, quod negari non potest, malis immixta bona multa sint, omnia ad felicitatem generis humani spectare videantur. Ac primo quidem miranda hominum temeritas et arrogantia, qui cum in rebus theologicis parum, aut nihil videant (laici enim sunt plerique) de his tamen non disputare solum sed decretoriam sententiam ferre audeant, atque omnes superiorum temporum theologos superbe contemnant. Quis vero credat novam atque admirandam his repente obortam esse lucem, ut in otio ac luxu, in magna morum ac vitae licentia ac fere publica seculi corruptela id pervidere potuerint, quod neque Bernardus, neque Thomas, neque Bonaventura, neque alii sancti denique viri in solitudine ac silentio, in assidua sacrorum studiorum exercitatione unquam viderunt ? Illud deinde intolerabilius quod tam multi cum extiterint retroactis temporibus eximia sanctitate Pontifices, eos tamen omnes male usurpatae potestatis accusant, simulque probrosam stupiditatis vecordiaeque notam inurunt tum omnibus terrarum orbis episcopis, qui contra usurpationem iniustam nunquam reclamaverint, tum etiam tot

oculatissimis ac sagacissimis Regibus qui eam perpetuo exerceri potestatem sine ulla intercessione sint passi. Constarent autem ipsi sibi! Fatentur illi quidem regni appellatione designari ecclesiam in evangelio. Nec enim audent negare illa, *simile est regnum coelorum grano sinapis, simile est regnum coelorum sagenae missae in mare*, atque alia id genus, quae passim occurrunt. Ast alii regnum sibi fingunt sine Rege, alii Regem sine potestate, alii tot reges esse volunt quot sunt episcopi, quae mera deliramenta sunt. Sunt deinde qui ut a principibus gratiam ineant de iis ita disserunt, ac si de Christi grege non essent; et quamquam praescriptis diebus ieiunare, missae sacrificio adesse ac semel saltem intra annum panem eucharisticum sumere perinde atque infimi christianorum cogantur, eos tamen affirmant ecclesiae legibus non adstringi, nisi forte primis illis ac generalibus, quibus ipsi se ultro subiecere: quasi vero temporis decursu defecerit in ecclesia, quae fuit antea, auctoritas imperandi, aut Christus Deus, cum summo pastori tradidit potestatem et curam pascendi gregis, ex numero agnorum suorum exceperit principes. Sunt demum qui interiora tantum religionis quae non cadunt sub sensus, ut summum, quae Divinae sunt institutionis ecclesiae Pontificique administranda permittunt; externam vero disciplinam omnem contendunt in potestate esse principis. Quod si verum esset, liceret principi non solum in sacra vasa manus profanas iniicere, sed novos ordines religiosorum instituere, dedicare templa, sacerdotales vestes cum sagis militaribus commutare, solemnia funerum nova praescribere, ipsos adeo sacrorum ritus, si superis placet, ac totam ecclesiae Liturgiam rem utique externam et institutionis humanae perturbare et invertere; quo nihil absurdius.

Vnum est in quo mire omnes consentiunt, revertendum ad prima ecclesiae tempora, disciplinam illam pristinam omnino restituendam. Hoc sanctae reformationis obtentu pleraeque ortae sunt haereticorum sectae. Vtinam saue ea morum sanctitas atque innocentia restituatur! At pusillus adhuc cum erat Christi grex sua quisque praedia divendebat, pecuniam inde redactam in fiscum apostolicum conferebat ex eoque peculio fideles communiter victitabant. Hanccine disciplinae formam restitui isti volunt? non credo. Non enim e re usuque eorum esset, cum maxime Petrus par coniugum quod de pretio agri quiddam fraudare ausi essent subita morte punierit. Nec illud puto volent, ut quemadmodum apostoli, primi illi scilicet ecclesiae episcopi, in omnem terrae plagam ad faciendam evangelicae doctrinae sementem se effudere, ita et successores eorum orbem terrarum perpetuo circumeant nullamque sedem fixam, nullam propriam dioecesim habeant. Nec illud, ut christiani quemadmodum olim sub ethnicis Imperatoribus ita nunc etiam in cryptis subterraneis suos conventus celebrent ac de sacra mensa quotidie participent. Quid ergo? suam restitui episcopis primaevam auctoritatem volunt. Quaedam videlicet sibi arrogasse Pontifices quae episcopalis sunt ordinis propria idque contra omne fas; apostolos non a Petro sed ab ipso Christo potestatem omni humana maiorem accepisse eamque ad episcopos successores transiisse. Hanc igitur neque tolli neque circumscribi a quoquam mortalium potuisse. Et siquidem per iniuriam a Pontificibus adempta fuerit, nunc detecta fraude in integrum restituendam. Sic isti primaevae disciplinae vindices assertoresque; atque huc demum tota eorum sollicitudo recidit, ne Romam adire ulla unquam causa necesse sit. Quodque magis mirere,

licet unum aegre ferant supremae potestatis Pontificem, multos pari potestate malunt qui tamen principibus parum aut nihil negotii possint facessere. At illud non attendunt qua ratione apostolis successere episcopi, eadem Christi discipulis successisse pastores secundi ordinis parochos; primos autem illos ecclesiae parochos non a Petro neque ab ullo Apostolorum sed ab ipso Christo potestatem sui muneris accepisse. Num proinde nulla episcopo auctoritas supra parochos? et siquidem quaedam eorum iura contrahere, potestatem inter certos limites continere, quaedam etiam eius muneris propria sibi reservare episcopus velit, id optimo iure non possit? illi irrogatam sibi iniuriam dicant? Hanc nimirum regiminis formam Christus instituit in ecclesia ut per varios potestatis gradus ordo unitasque servetur atque ad unum denique omnia referantur. Regnum, non rempublicam condidit; proindeque uni claves regni, supremae scilicet potestatis insigne, tradidit. Vni commisit ut aliquando conversus confirmaret fratres suos. Vni demum iniunxit ut non agnos tantum sed et oves eorum matres idest episcopos pasceret gubernaretque eumque pastorem pastorum constituit. Quanta quanta igitur fuerit apostolorum auctoritas, quae certe fuit maxima atque ad propagandum orbe toto regnum Christi ut iis initiis necessaria, tamen Petro tanquam apostolici senatus principi tota subiiciebatur. Ac tanto is supra ceteros vicaria Christi potestate eminebat, ut novos adeo creare Apostolos, si Ioanni Chrysostomo credimus, sola sua auctoritate posset. Observat enim Chrysostomus, cum vix in caelum Christus ascendisset ac tota fidelium multitudo cum apostolis atque ipsa Virgine Beatissima in coenaculo moerens dolensque utpote suo orbata pastore consisteret, primum exsurrexisse vocemque intendisse

Petrum uti qui Christi gereret vices, ac de novo eligendo apostolo qui in locum Iudae succederet non tam hortantis quam praecipientis ritu proposuisse. *Oportet* inquit *impleri Scripturam.* Neque sententias perrogasse neque contradicere quemquam ausum esse. Sique electionem universo coetui permisit, id ideo fecisse aio, ut facto declinaret invidiam ac ne uni prae caeteris gratificari videretur. *An non licebat ipsi eligere? licebat et quidem maxime. Verum id non fecit ne cui videretur gratificari. Multitudini permisit iudicium et eos qui eligerent reddens reverendos et semetipsum ab invidia liberans* (hom. 3, in Act. Apost.). Ita doctor sanctissimus idemque ecclesiae Constantinopolitanae episcopus cuius maxime intererat ne plus aequo supra episcopalem efferretur auctoritas pontificia. Quae cum auctoritas ad Pontifices Petri successores pe petua dimanatione descenderit, cur non his liceret secutis temporibus quaedam episcoporum iura contrahere, alia quaedam iis adimere sibique reservare cum maxime adeo multiplicati orbe toto essent episcopi nec omnes tanta ut apostoli sanctitate essent? Et siquidem adempta semel fuerint, quis eadem restituere nisi summus Pontifex queat? poterit, inquies, Princeps utpote patronus ecclesiae. Ita sane. Vt scilicet poterit facultatem sacrificandi restituere sacerdoti cui episcopus sacrificium interdixerit. Vt poterit parocho restituere ius absolvendi a peccato cuius absolutionem sibi episcopus reservaverit. Haud enim minor Pontifici Maximo potest s in episcopos ecclesiae universos quam unicuique episcopo in sacerdotes et parochos suae dioeceseos.

Fuit, inquiunt, cum Pontifices male usi sunt potestate, eamque longius, quam oportuit, protulere. Sit ita sane. Sua quandoque potestate male usi sunt etiam Reges. Num idcirco

potestas Regia in dubium revocanda? Vtraque a Deo est. Sua sunt unicuique confinia. Sed siquidem Pontifex liberum suae cuique Principi potestatis usum relinquit, cur suam Pontifici Princeps non relinquat intactam? cur praesertim Christianus Princeps, utpote Patronus ecclesiae, eius auctoritatem libertatemque tueri ac defendere, contemptores legum pontificiarum sua potentia compescere atque ad obsequium vi adigere non debeat? Hoc enim Patroni officium est, nec alia certe de causa Pontifices in suis edictis invocandum, si sit opus, auxilium brachii saecularis, apponere consuevere. Ceterum non ignorabat gliscentes in aula romana labes Bernardus abbas Claravallensis, nec vero dubitavit de iis aperte simul reverenterque commonere Eugenium pontificem, suae olim disciplinae alumnum, eo libro, quem De Consideratione inscripsit; at primatum eius et summam gubernandae ecclesiae auctoritatem, nunquam revocavit in dubium: *sic factitando probatis*, ait uno loco, *habere plenitudinem potestatis, sed iustitiae forte non ita. Facitis hoc quia potestis, sed utrum debeatis, quaestio est.* Ep. III, c. 4. Et alibi Eugenium admonens ac si durius aut imperiosius ageret cum Episcopis: *scias*, inquit, *te non Episcoporum Dominum, sed unum ex ipsis.* Ne tamen id sequiorem in partem traduci posset, quasi pari esset conditione cum ceteris nihilque amplius posset, iam ante mentem expresserat suam per haec verba ep. II, c. 8. « Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur « et in ipsos, qui potestatem super alios accepere. Nonne si « causa extiterit, tu Episcopo coelum claudere, tu ipsum ab « episcopatu deponere, etiam et tradere satanae potes? » et alibi lib. I, c. 8. « Habent alii sibi assignatos greges, singuli « singulos: tibi crediti sunt universi. Non modo ovium, sed

« et pastorum tu unus omnium Pastor. » Ita scribebat Bernardus, vir apprime sanctus ac doctus et natione gallus, adeoque a romanis, ut vocant, praeiudiciis vacuus. Idem tamen qua libertate pontificem humilitatis modestiaeque in exercenda potestate commonebat, eadem ad Corradum Imperatorem scribens ei reducebat in mentem illa Apostoli verba *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: quam sententiam,* aiebat, *cupio vos et omnimodis moneo custodire in exhibenda reverentia summae et Apostolicae Sedi et B. Petri Vicario sicut ipsam vobis vultis ab universo servari imperio.* Sic tacite insinuans, ut multum emineret potestas Imperatoria, sublimiorem tamen Pontificiam esse. Bernardo postmodum, si tantum excipias turbida illa ac procellosa Concilii Constantiensis tempora cum tres censebantur in ecclesia Pontifices, nemo legitima electione certus, et tota in partes Europa discesserat, consensere omnes theologi sorbonenses e quibus nemo est qui non monarchicum dicat ecclesiae regimen summamque potestatem et iurisdictionem non reponat in Romano Pontifice. Et quia eorum unus, vir ille quidem eruditus et doctus immo theologicae facultatis syndicus Edmundus Richerius nomine, a no 1611 librum evulgare ausus est quo summam Pontifici potestatem non a Christo traditam sed episcoporum consensu concessam affirmabat et quandam aristocraticam formam in ecclesia comminisci videbatur, eum Galli Episcopi librum anno sequenti in Conciliis Provincialibus Senonensi et Aquensi solemni formula damnavere; doctores vero sorbonici Richerium e gradu syndici deiecere perstantemque errores suos obstinate tueri ex ipsa demum universitate cum ignominia expunxere.

Sed quid his ego immoror frustra, quasi vero non dogma catholicum sit Primatum Romani Pontificis et Divini esse iuris, et non honoris tantum et dignitatis sed iurisdictionis et potestatis esse, cui qui contradicere audeat haereticum se fateatur necesse est? sic enim definitum est in Concilio oecumenico Florentino in amplissimo illo orbis terrarum consessu in quem novo post tot secula exemplo oriens pariter occidensque convenerant. « Definimus Sanctam Apostolorum « sedem et Romanum Pontificem in universum orbem te« nere primatum; et ipsum Romanum Pontificem successo« rem esse B. Petri Principis Apostolorum et verum Chri« sti Vicarium totiusque ecclesiae caput et omnium Christia« norum patrem ac Doctorem existere et ipsi in B. Petro pa« scendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam a Do« mino Nostro Iesu Christo plenam potestatem esse tradi« tam ». Quod decretum prae oculis habens facultas theologica parisiensis anno 1542 dum errores Lutheri condemnat hunc articulum addidit: « nec minus certum, unum esse « de iure Divino summum in ecclesia militante pontificem « cui omnes christiani parere teneutur ». Et clerus Gallicanus in conventu anni 1682 ita de romano Pontifice disserebat: « caput est ecclesiae et centrum unitatis. Obtinet ille « in nos primatum auctoritatis et iurisdictionis sibi a Chri« sto Iesu in persona S. Petri collatum. Qui ab hac verita« te dissentiret schismaticus imo et haereticus esset ». Quam haereseos suspicionem ut a se amoliretur unus e nominatissimis Galliae scriptoribus Natalis Alexander, dum quaedam Regis Ludovici XIV iura contra pontificem defendenda suscipit, haec ad sui defensionem praefari necessarium duxit. « Summam potestatem Romano Pontifici in spiritualibus con-

venire, primatum iure Divino institutum seu a Christo immediate collatum non honoris solum ac dignitatis sed et potestatis ac iurisdictionis cui christiani omnes regesque ipsi obnoxii sunt ac parere tenentur, credo ac propugno ut doctorem catholicum decet (diss. 8. ad Can. conc. Lugd.) ». Quamquam propriae quaedam sint cleri gallicani praerogativae pro iisque scriptores e Gallia multi, iique eximie catholici acriter strenueque pugnaverint; s'qui tamen Romano Pontifici pares potestate facere episcopos ausi sunt, ii iudicio publico notati sunt tamquam catholici dogmatis desertores; eaque opinio quae Petro pares potestate faciebat apostolos anno 1617 ab theologica facultate parisiensi damnata est in Marco Antonio De Dominis *ut haeretica et schismatica quatenus aperte insinuat Romanam Ecclesiam iure Divino auctoritatem in alias ecclesias non habere sed praecipua tantum nobilitate, existimatione ac dignitate ceteris antecellere.* Id ipsum Petrus de Marca, Bossuetus, Fleurius, Alexander aliique celebriores Galli qui de hoc argumento scripsere Gallicani licet cleri eiusque iurium acerrimi assertores defensoresque diserte docent. Cum enim unam sanctamque esse Ecclesiam catholicam, quemadmodum unus est Deus, una fides, unum Baptisma Divinae fidei sit, ad eamque unitatem servandam unum esse in ovili Pastorem Christus voluerit; facile perviderunt huic supremam in ceteros pastores potestatem tribui necessario oportere. Nimirum, ut aiebat Hieronymus in dial. Contra Lucif. n. 5 « Ecclesiae salus in summi sacerdotis necessitate pendet cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens tribuatur potestas tot in ecclesia efficientur schismata quot sacerdotes ». Quo loco notant Divino quodam consilio supremam hanc ac monarchicam potestatem fuisse in Romana Sede

collocatam ut omnes orbis terrarum gentes Romanorum armis subac ae quemadmodum antea Vrbem Romam tamquam imperii sedem venerari erant solitae, ita tamquam caput ecclesiae ac sedem Christianae Religionis venerari consuescerent.

Quid ad haec possint reponere nostri hi philosophi qui pontificias reservationes, dispensationes, exemptiones velut apertas et iniustas alieni iuris usurpationes et manifesta Romanae Curiae latrocinia inepte admodum impudenterque traducunt, plane non video. Ne tamen revicti atque ad silentium adacti videantur, ut pauca sciunt atque eadem semper recoquunt, illam procul dubio nobis obtrudent Christi vocem *Regnum meum non est de hoc mundo.* Quasi vero ecclesia quia regnum non est de hoc mundo, idcirco regnum non sit, monarchiae formam non habeat, nec ab uno sit cum suprema potestate regenda ac gubernanda. Christi sane regnum, quod nos ultro fatemur, non est de hoc mundo idest non humanis artibus comparatum, non terrenam felicitatem spectans, non militum vi, non armorum terrore sustentandum. « Si enim « ex hoc mundo esset regnum meum, aiebat ipse Christus, « utique ministri mei decertarent ut non traderer Iudaeis ». Regnum est tamen; et quamvis unice ad aeternam animarum salutem spectet, regem tamen exposcit cui legum ferendarum, iubendi puniendique summa potestas sit. Regnum est inquam et quidem illud omnium maximum de quo Daniel tot ante secula praenunciavit (cap. 7, art. 27). « Regnum autem et « potestas et magnitudo regni quae est subter omne caelum « detur populo sanctorum Altissimi; cuius regnum, regnum « sempiternum est et omnes reges servient ei et obedient ». Quo vaticinio non catholici solum sed etiam heterodoxi desi-

gnatam volunt ecclesiam *cuius disciplinae*, aitGrotius, *omnes reges se subiicient ut fecit Theodosius ille magnus*. Regnum est deniqne duplici instrnctnm gladio iuxta illud *ecce duo gladii hic*, spirituali ac materiali quorum alterum sua manu tractat ecclesia cum contumaces arcet sacris atque anathemate ferit, alterum manu Principis cum eins implorat auxilium atqne enm etiam ad rebelles suos compescendos cogit. Vtrnmqne sane gladium ecclesiae potestati Bernardus subiicit « sic tamen ut materialis pro ecclesia, spiritualis ab ipsa « ecclesia exercendus sit: bic sacerdotis, ille militis manu sed « ad nutum sacerdotis et iussnm Imperatoris ». Haec nimirum totidem verbis ad Eugenium scribit (de consid. l. 4, c. 3), eique animnm faciens. « Nunc vero, snbiungit, arripe illum qni tibi ad feriendum creditns est et vulnera ad salutem, si non omnes, si non vel multos, certe quos possis ». Quam cohortationem quo animo accepturi sint nostri hi poenarum ecclesiasticarum contemptores irrisoresque philosophi quivis facile intelligit.

Sed quid ultra dissimnlo? de suprema Pontificis auctoritate parum isti ant nihil laborant de eaque, unam si modo rem excipias, facile consentient. Vnum est quod eos urit angitque. Videlicet per causam reservationum, exemptionum, dispensationum Romam ex orbe toto catholico pecuniae commeant; Roma ex alieno ditescit. Sit ita sane. Cum orbem terrarum universum armis sibi Roma snbiecerat ei omnes gentes tributum pendebant. Cur novum imperium et iustius obtinenti non pendant? Privileginm est urbis in qua sedem sui regni locatam Christus voluit. Vni Deus *Imperium sine fine dedit*. Quid? qnod propriae instaeqne sunt causae cur Romam ex orbe toto pecuniae transmittantur? Orbis nam-

que universi curam Summus Pontifex gerit et ministros adiutoresque in id alit ingenti numero quibus sustentandis eos saltem contribuere qui beneficiis utuntur aequissimum est. An non eandem ob causam ex toto regno in urbem regni primariam pecuniae convehuntur? ibi certe publicae curatores rei ne chartulam quidem unam sine praesenti pecunia poscentibus largiuntur. Cur non etiam qui christianae reipublicae operam navant quique cibo ac potu ut ceteri mortales victitant mercedem sui laboris exigant? Romae tamen contra quam fieri videmus in aliis regnis multa sine pretio poscentibus conceduntur. Testis ipse Iosephus Caesar cuius fratri Maximiliano ad Colonienses et Monasterienses infulas adspiranti facultas necessaria sine pretio concessa. Testes omnes reges catholici qui si suas sibi matrimonio iungere velint consanguineas nihil nunc pro necessaria dispensatione coguntur solvere. Quin etiam pauperioribus, si coniugii honesta causa sit, parum ac fere nihil idque magis in modum poenae salutaris quam iustae solutionis imponitur. Sic facultas legendi libros prohibitos, sic ordinariae indulgentiae licet membranis diligenter exaratae, sic votorum commutationes atque alia id genus nullo petito pretio concedi solent. Sic interdum Episcopis viam quam vocant secretam ineuntibus paupertatemque praetendentibus ipsa episcopatus diplomata condonantur; ut mihi quidem haec cogitanti nulla videatur aula liberalior atque a quaestu alienior Pontificia. At, inquiunt, Pontifex praeter sacerdotii proventus amplo nunc Principatu potitur, quo prisci Pontifices caruere. Eo igitur contentus esto, qui necessarias in expensas abunde sufficit. Sic isti romanae opulentiae invidi obtrectatores qui Pontificem maximum et ecclesiae principes cardinales, rursum ad egestatem et inopiam si fieri

posset, quemadmodum olim sub ethnicis Imperatoribus, adactos vellent. At etiamsi ditissimus de suo sit Pontifex, ideone quod aliunde sibi debitum est remittere debeat? Quis hanc legem scivit? Quis e ditioribus eam sibi velit impositam? Atqui quas Pontifex possidet terreni dominii opes, uti est pontificii regiminis forma laxior et indulgentior, vix pares sustinendae dignitati sunt, eosque ex toto publica rerum administratio et aulae maiestas absumit. Maiores autem ne sint ex parte magna effecere ampla pecuniae subsidia, quae superiores Pontifices ad alios principes, austrios praesertim ac venetos bello turcico laborantes submisere. Hos enim ut periculo eximerent, magnam aeris alieni vim contraxere, quod dissolvere secuti Pontifices nunquam potuere, ut eo etiam nunc praegravatum inveniatur aerarium pontificium. Quo magis miror eos ipsos Principes, quibus tali suo tempore tam opportune subventum est, nunc romanam opulentiam acerrime insectari, et Pontificem suis opibus spoliatum ire, quasi vero quod aliis temporibus evenit, iterum evenire non possit. Interest ergo christianae reipublicae non honore solum ac potestate, sed etiam opibus Pontificem maximum praepollere, nempe ut nullius unquam opem cogatur exquirere, ut neutrarum partium inter Principes perpetuo esse et, si casus ferat, aliis etiam principibus benefacere de suis possit. Adde his christiano nomini pulcrum ac decorum videri summum religionis Antistitem in luxu atque opulentia versari, idque omnes gentes in omni secta sibi semper honori duxisse, atque ipsum, quod magis est, summum iudaici populi Sacerdotem fuisse divina institutione locupletissimum, in purpura ac gemmis incedere consuevisse, potentiam denique prope infinitam ac regiae parem in republica exercuisse. Cui de maie-

state concedere christianorum Pontificem maximum, quem omnes populi atque ipsi adeo reges pedis osculo venerantur, non videtur ferendum.

Perdiu tamen Romani Pontifices parvo contenti fuere, utque summa in ecclesiam potestate pollerent, a pompa tamen ac luxu abhorruere, quin Apostolorum vestigiis insistentes, fere mendicato ex gratuita fidelium largitate vixere. Sic ad extremum nostri scriptores. Quibus ego: non id solum, sed etiam ad rogos, ad feras, ad atrociora supplicia rapiebantur sub ethnicis Imperatoribus. At eodem tempore etiam salutare crucis signum ignominiae erat ac probro, nec nisi post plura secula venerationem habere, atque in fronte regum effulgere coepit. Et sepulcrum Christi, de quo fuerat divinitus praenunciatum fore gloriosum, perdiu iacuit in obscuro. nec cultum obtinere coepit nisi post plura saecula. Successere tamen Deo gubernante tempora meliora, cum christiani Principes, ut suae religionis decus ac celebritatem augerent, Pontificem in sua sede splendescere voluere, eique ampla praedia, quibus viveret, praesertim in Sicilia Calabriaque contribuere (ea S. Petri patrimonia dicebantur), tot demum opes in eum tam effusis largitionibus concessere, ut iam tum maiestas pontificia prope regiam aequaret. Quibus cum accederent decimae, quae in annos singulos Pontifici solvebantur, tanta argenti vis ex orbe toto in pontificium aerarium inferebatur, quanta fortasse hodie non redit e vectigalibu ditionis pontificiae. Documento esse possunt tot illa tam sumptuosae magnificentiae monumenta, quae etiam nunc in urbe Roma conspiciuntur, praeter immensos sumptus, quos sive templis adornandis, sive peregrinis sustentandis Pontifices eorum temporum faciebant, de quibus Anastasius Bibliothe-

carius narrat. Vertente demum seculo post Christum natum octavo, cum Leo Isauricus Imperator a fide catholica defecisset, et sacras imagines earumque cultores atrociter ad necem usque insectaretur, plures Italiae populi, excusso impii Principis iugo, alii alios sibi duces ac vindices elegere, Romani vero in fidem potestatemque Gregorii secundi Pontificis ultro se contulere. Cum deinde in eadem perfidia atque impietate persisteret Leonis filius Constantinus Copronymus, ipsumque Pontificem Constantinopolim ad se vinctum trahi iussisset, ad eius defensionem coniunctis armis atque animis consurrexere plures Italiae provinciae, ab eodemque religionis conservandae studio sese Pontificibus pleno iure regendos permisere; quo demum adeo fractae vires Graeci Imperatoris sunt, adeo spreta eius auctoritas, ut orientis imperium omnino in occidente conciderit, fueritque habitum pro extincto. At parte alia magnam Italiae partem obtinebant Longobardi, quorum erat haud minus gravis et intoleranda dominatio; provincias Pontifici deditas invaserant, atque ipsam Romam bello premebant. Quare Pontifices, icto cum Francis foedere Carolum Martellum ac Pipinum primo, deinde Carolum cognomento magnum auxilio vocarunt, qui repressa Longobardorum potentia non solum urbem vexatione ac periculo liberavere, sed et provincias ab iis occupatas, Exarchatum in primis, Aemiliam atque Pentapolim rursum ad obedientiam Romani Pontificis compulere. Cuius meriti gratia Pontifex Adrianus, ut iam legitimus senatus populique romani moderator ac princeps, novum in occidente creavit Imperatorem quem dixi Carolum, impositaque corona imperiali, ipsum adoptavit ut filium, ac patricium Vrbis idest defensorem romanae ecclesiae constituit. Atque hunc denique in modum,

Deo propitio ac tempore, in hanc tantam lucem ac magnificentiam educta est dignitas pontificia, effectumque quod de ecclesia affirmabat Christus Deus, cum similem esse dixit grano sinapis, *quod minimum est quidem omnibus seminibus, cum autem creverit, maius est omnibus oleribus et fit arbor.* Matth. 13, 31. Frustra igitur nobis priorum Pontificum pauperiem, humilitatemque obtrudunt invidi, cum maxime illustriora forte non fuerint regiae dignitatis initia. Ego sane non arbitror Nembrottum illum, qui primus regium nomen ac potestatem usurpasse dicitur, continuo purpuream chlamydem et coronam auream assumpsisse, cum eoque aulicorum ac vigilum apparatu, quali hodie utuntur reges, in solio consedisse, nec denique tantam in populos auctoritatem sive legibus ferendis sive tributis exigendis sibi arrogasse. Verum his omissis, cetera quam brevissime exequamur.

Non mire solum audaces indoctique, ut supra demonstravimus, scriptores hi nostri sunt, sed plane amentes ac stolidi, uti qui malum ipsimet sibi consiscunt ac suis, quaque opera deprimere auctoritatem Pontificis et aegre facere aulae romanae student, eadem iugum cervicibus hominum longe pontificio gravius imponunt. Quidquid enim potestatis Pontifici detrahunt, in principes transferunt, qui quidem leges multo rigidiores ferunt earumque custodiam non meris poenarum aeternarum minis sed praesenti supplicio exigunt. Fac deinde liceat principi contra quam legibus scitum est in ecclesiae bona manus iniicere de iisque arbitratu suo decernere. Quis non futurum spondeat, ut sua cum fecerint quae sunt Deo sacrata, manus contineant a profanis? Quam facile novi existent Acbabi, qui vineas Nabothorum invadant? utque haec desint, quorsum evadent illa subsidia pauperum, il-

la ornamenta templorum, ille etiam decens cleri cultus ac nitor, quibus rebus hactenus sacerdotiorum et coenobitarum proventus absumi consuevere? Ad extremum quamdiu locupletes ecclesiae et coenobia satis a bonis proventibusque instructa fuere, multi nobili quidem loco sed in tenui fortuna nati aut clericali militiae dabant nomen, aut etiam in religiosa septa se recipiebant, ibique nulla suae gentis impensa sat commode victitabant, qui deinceps aut arma ferre vel inviti, aut aliud durum capessere vitae genus cogentur et paternae domui incommodare nunquam desinent. Quae publica mala paulum si attenderent inficeti isti Principum assentatores, non sic temere contra pontificiam potestatem inveherentur, minus quidem certe principalem efferrent. Nec tamen hic ego graviora illa commemoro quod, tot partibus imminuto sacerdotum utriusque cleri numero atque ad miram paucitatem redacto, deerunt divini cultores idonei, ac saepe populus divinae legis institutores, saepe divini verbi praecones ac sacrorum ministros desiderabit, et multi in ipso vitae exitu necessariis aeternae vitae subsidiis destituentur. His enim calamitatibus nihil angi nostros philosophos certo scio.

An vero saltem negotium principum isti agunt eorumque securitati consulunt? nihil minus; idque extremum est socordiae atque imprudentiae, quod dum Principum studiosissimi volunt videri, iisdem ipsa re nocent et perniciem, nihil tale, ut puto, volentes struunt. Principio enim clericos et coenobitas, quae hominum portio non exigua ac fere auctoritate praecipua, contra ipsos concitant Principes, totque illis interne inimicos parant, quot suis opibus spoliantur. Id autem principibus periculosum, cum nullum sit principalis potentiae munimentum firmius amore populorum ac fide. Il-

lud deinde certum, quaedam incidere posse, ut saepe alias, cum Princeps ope populorum ac benevolentia maxime indigeat. Qnod quidem si unqnam timendum, maxime hoc philosophico secnlo cnm homines quidam nova qnadam luce, uti gloriantur, collustrati mnlta vident ignota maioribus, utque certis apparet indiciis, aegre quodvis patiuntnr imperium atque ad primaevam illam humani generis aequalitatem libertatemqne respicinnt. Quid ergo si qnando populus vel legum vel exactionnm impatientia (nec enim tam patiens populus qnam clerici et coenobitae) vel qua alia causa in seditionem cernitur ? Tumultum exorientem armis comprimet Princeps. Credo, at non sine sanguine et graviorum metu. Quid rnrsnm si in seditionem ipsi cooriantur armati? Fidem iureiurando obligarunt Principi. Scio; at quantula inramenti vis, eam nisi excitent foveantque sacri religionis interpretes ac ministri? quid vero sperandum ab his cum procnlcati, depressi, ludibrio habiti, suis spoliati fortunis ac privilegiis fuerint ab ipso Principe? quid demnm opis in Pontifice Maximo qni aliis temporibus ut rerum arbiter concordiaeque aptissimus conciliator partibus interveniebat, nunc vero furentem pacare mnltitndinem, neque si vellet, iacente auctoritate, posset? documento esse possunt tetra illa et infanda qnae Carolo Regi primnm, deinde toti eius familiae in Anglia contigere, quornm quidem nihil ut arbitror contigisset, si qnid apud eam gentem prisca ecclesiae dignitas et Pontificis Maximi auctoritas valuisset. Quo igitur loco ac numero hi habendi sint tam inepti scriptores, qui contra Romam Romanumque Pontificem tantopere debacchantur simulque ipsi sibi et quibus adulantur principibus malum creant, nemo non videt.

Ex his tamen tam impuris ac faeculentis fontibus hausta opinari fas est quae Caunitzius Iosephi Caesaris primarius administer, ut supra vidimus, scripto consignata reliquit. Iuvat enim ad ea quae tum leviter ac summis tantum labiis attigimus, parumper hoc loco recurrere in iisque paulo diligentius immorari. Et forte causam praecipuam tot novarum rerum, quibus tota hodie perturbatur ecclesia, reperiemus minusque optimi Principis firmitatem in iis inceptandis ac persequendis mirabimur. Caunitzius ergo ad Garampum Pontificis nuncium iis de rebus modeste conquerentem rescribens illud primo ponit loco ac pro certo sumit, Pontifici Maximo ius nullum esse in ecclesia universali nisi si agantur res dogmaticae aut mere spirituales: ceterum exteriorem omnem disciplinam et quidquid demum non divinae sed humanae institutionis est in potestate esse Principis, qui proinde suo iure possit quaslibet ecclesiae leges et consuetudines longa licet seculorum possessione roboratas, si minus placeant, invertere, inducere atque abolere. Haec ipse totidem fere verbis. Anne igitur Principi liceat sacerdotales vestes commutare cum militaribus? solemnes sacrorum ritus ac caeremonias totamque adeo ecclesiae liturgiam invertere, inducere atque abolere? exteriora enim haec sunt, non divinae sed humanae institutionis, nec certe inter res dogmaticas aut mere spirituales numeranda. Non arbitror hoc sagacem hominem dicere voluisse quod non absurdum modo sed plane ridiculum videretur. Quid ergo? dicam inferius. Illud interea quis ferat quod itidem disertis verbis adiungit, Principes ultro libenterque Christi religionem in suis ditionibus admisisse propter doctrinae sanctitatem, sua tamen incolumi potestate, nunquam admissuros si qua parte huic detrahendum existimassent. Quid, quaeso, dici poterat

inconsideratius? sane nobis hactenus atque unicuique christiano persuasum erat Christi religionem rebus humanis omnibus, nedum regiae potestati, esse anteferendam: et Hermenegildum martyrem laudamus, propterea quod non modo regnum amittere, sed vitam etiam ac sanguinem profundere maluerit quam mutatae religionis indicium praebere. At nunc si Caunitzio credimus, Principes Christi religionem non admitterent, nisi sua incolumi potestate, sique ipsum consuleret Iosephus Caesar, prius Christi fidem eiurare deberet, quam vel unum apicem suae potestatis amittere. Quod plane impium atque horribile dictu est.

Ceterum ea cum scribebat vir sagax aliud, ut suspicor, spectabat nihil quam opes eccle iae, quas vult in potestate esse Principis. Auget suspicionem quod videmus ditiora tantum religiosorum ac sacrarum virginum coenobia Caesaris iussu supprimi, pauperibus parci. Atque de his tamen bonis ita sancitum est in Concilio oecumenico Tridentino ut si quis ea usurpare quoquo modo ausus sit, *quaecumque is dignitate etiam imperiali aut regali praefulgeat*, tamdiu anathemati subiaceat, quamdiu usurpata non restituerit atque a Romano Pontifice absolutionem non impetrarit. Aderant in eo conventu cum hoc decretum est factum legati omnium fere regum catholicorum. Nemo reclamavit, nemo laesam sui principis potestatem doluit. Caecine ergo omnes aut stupidi praeter Caunitzium? qui si forte nostrorum philosophorum more prima illa nobis obtrudat ecclesiae tempora, cum nondum malae ut aiunt consuetudines in cleri disciplinam irrepserant, Laurentium scimus fortissimum illum ac gloriosissimum Christi athletam, iussum a Valeriano Caesare thesauros ecclesiae depromere sibique in manus tradere, non modo iubenti non pa-

ruisse, sed auro argentoque inter pauperes iussu Xysti Pontificis distributo, horum dumtaxat squallidos Valeriano obtulisse greges atque avidi principis cupiditatem lusisse. Adeo iam tum bona Deo sacrata ecclesiae propria ac Principi indebita censebantur. Aut igitur id ipsum fateatur Caunitzius necesse est, aut Laurentium dicat iure fuisse damnatum apertae in Principem contumaciae et commeruisse cur tam atroci supplicio necaretur. Vtrumvis elegerit, nobis perinde est.

Sequitur illud alterum scripti caunitziani caput, deliberatum ac fixum esse Caesari, ut suae ditionis episcopi priora episcoporum iura, quae ipsis romani Pontifices per manifestam iniuriam ademere, recipiant iisque in sua quisque dioecesi posthac libere utantur. Ea namque ordinis episcopalis propria esse, ei inhaerentia, ab eo inseparabilia, utpote ab ipso Christo Deo primis episcopis idest apostolis contributa, quae proinde nulla humana potestate adimi minuive potuerint. Quid vero si non humana sed divina ipsius Christi potestate fuerint adempta aut imminuta? ignorabat videlicet ea cum scribebat homo aulicus, Christum priusquam in caelum ascenderet suum in terris Vicarium constituisse Petrum, Petro suam pascendi gregis supremam divinamque potestatem detulisse, eaque propter etiam apostolos, ut supra demonstravimus, Petro fuisse subiectos. Ignorabat soli dictum fuisse Petro: *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos;* soli *pasce oves meas;* soli claves regni caelorum fuisse commissas. Ignorabat denique aut certe non considerabat potestatem Christi vicariam a Petro ad successores eius romanos Pontifices integram descendisse; qui proinde si qua episcoporum iura contrahenda sibique reservanda duxere, id non per iniuriam sed iure bono, non humana sed divina ipsius Christi potestate fecere.

Nec illud credo scribenti succurrit non episcopos solum sed etiam simplices sacerdotes fuisse a Christo initiatos atque his facultatem fuisse praebitam conficiendi eucharistici sacramenti atque absolvendi a peccatis; quae adeo propria sunt ordinis sacerdotalis, ut nulla humana potestate adimi minuique posse videantur. Sacerdotes tamen episcopis subiici oportere et saepe sacerdotes ab episcopo iustis de causis usu conficiendi sacrificii interdici et sacrarum confessionum ministerio aut omnino privari aut certos dumtaxat intra limites conditionesque iis concedi, vel ipse fateatur necesse est. Quod ergo tam libere constanterque pronunciat velle Caesarem, ut episcopi suae ditionis priora episcoporum iura recipiant iisque, nihil admodum attentis pontificiis reservationibus, in sua quisque dioecesi libere utantur perinde est ac si diceret: Velle Caesarem ut omnes sacerdotes fidelium confessiones excipiant ab iisque etiam peccatis quorum absolutionem sibi episcopus reservaverit poenitentes absolvant, et si qui suspensi sunt a divinis sacrificium nihilominus proprio atque insito iure quo spoliari non potuere conficiant. Quod item ridiculum dictu est. Frustra enim haec velit iubeatque Caesar nisi episcopi Pontifexve consentiant. Quippe has facultates nemo omnium restituere nisi is qui ademit aut eo superior potest.

Postremo sibi constare non videtur Caunitzius cum velit tot esse Pontifices supremae, saltem in rebus spiritualibus, potestatis, quot sunt in sua quisque dioecesi episcopi; atque unum aegre cum ferat, adeo tamen multiplicandum eorum numerum censet. Sed causa in promptu est. Parum videlicet augerentur suprema istiusmodi Pontificum potestate Principes, quos ad omnia morigeros et obsequentes haberent; sique repugnarent, proventibus interceptis in suas partes

adigere facile possent. Quo magis laudanda divini Numinis providentia, qua factnm, ut cum romanum imperium plures in partes discissum et distractum sit ac plura in regna discesserit, eius portio non exigua, eaque Italiae fere praecipua, cesserit in potestatem ecclesiae romanae eaque Pontifex pleno Principis iure potiatur. Sic enim qui communis est pater principum, stare in neutris partibus et officium exercere liberius potest, qui si uni eorum esset obnoxius, minus aliquando posset.

Atque haec habui dicere de caunitziano illo monumento ex quo facile cognosci potest, tot ecclesiae plagas impositurum non fuisse Iosephum imperatorem, nisi tali tam irreligioso uteretur administro et multo graviores impositurum, si eius tantum consiliis, non etiam suo praestanti iudicio atque insita religione in rebus decernendis uteretur. Testis est ipse pontifex Pius qui Viennae cum esset, multo dociliorem atque erga se obsequentiorem reperit Caesarem quam Caunitzium, et multa in privatis cum Caesare congressibus ex sententia confecisset, nisi eadem administro recognoscenda ac definienda permissa fuissent, qui scriptum illud suum usque ad supremos apices exequendum putans, omnia pontificis postulata praecise reiiciebat, nihil admodum ei concedendum statuebat. Idem evidentius videre licuit Romae, coram cum adesset Caesar et negotium de archiepiscopatu mediolanensi per se ageret cum Pontifice. Facile enim utrinque in certas conditiones ex aequo et bono conventum est atque omnis, ut supra docuimus, inter sacerdotium et imperium dissensio composita. Vbi vero Viennam allatae sunt literae apostolicae, quas bullas vocant, quiddam in iis Caunitzius reperit non ferendum atque iterum turbata concordia. Ea nimirum miserrima

est conditio Principum ut quantumvis probi atque optimae mentis ipsi sint, suorum tamen ministrorum, quos aliunde fideles ac rerum experientes putant, fidei se committere, saepe etiam contra quod vellent eorum consiliis sua accommodare consilia debeant. Illud bene, quod Iosephus multum valet ingenio et avitam religionem maxime cordi habet. Accedente itaque aetate atque experientia spes est fore aliquando ut intelligat, non omnia quae Caunitzio auctore novanda suscepit, fuisse tam propere festinanterque conficienda et forte ex iis multa pristinum in statum restituet. Forte etiam animo reputabit se, utpote Romanorum Imperatorem, romanae ecclesiae patronum et advocatum esse constitutum eoque nomine pontificiae auctoritatis vindicem ac defensorem, non eversorem esse oportere: utque pius et sagax Princeps, sibi cum Pontifice coniunctissime vivendum existimabit atque omnes discordiae causas, quas saepe improbi interserunt de industria, in ipso ortu praecidendas curabit. Haec, inquam, Deo propitio sperare fas est. Vtut tamen sit, quamdiu ex evangelio non delebitur illa Christi vox *Pasce oves meas,* inconcussa manebit auctoritas pontificia eique omnes Christi fideles, summi etiam Reges, si modo de Christi grege esse velint, obtemperare cogentur. Variabunt tempora, vertentur rerum vices: Pontificis maximi auctoritas nunquam excidet. Alios vidit ventos Petri navicula, aliis tempestatibus non cessit. Saepe iactata fluctibus, nunquam demersa est. *Portae inferi non prevalebunt.*

Explicit Liber Quartus.

INDEX RERVM

LIBER PRIMVS.

LIBER SECVNDVS.

LIBER TERTIVS.

LIBER QVARTVS.

IMPRIMATVR

Fr. D. Buttaoni O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATVR

Fr. Ant. Ligi Bussi Archiep. Icon. Vicesgerens.